UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Militia Sacra || Dvcvm Et Principvm || Brabantiæ,||

Molanus, Johannes

Antverpiae, [1592]

urn:nbn:de:hbz:466:1-38114

Visual Library

N. I
55.

Th. 502 b.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



MILITIA SACRA DVCVM ET PRINCIPVM BRABANTIÆ,

Auctore IOANNE MOLANO, S. Theol. in Academia Lovan: Doctore.

Adiectæ sunt ad huius historiæ Illustrationem Annotationes M. Petri Louwij Sylvæducensis.

Collegii Soctis JESV Paderborna 1697

LABORE ET CONSTANTIA.

Dono P. ANTVERPIAE Kloppenburg St.
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Viduam, & Ioannem Moretum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AMPLISSIMIS CLARISSIMISQ. VIRIS,

NICOLAO DAMANTIO,

Cancellario, & apud Catholicum Regem Philippum in Hispanijs Concilij Belgici Præsidi, magnique Sigilli præfecto, Ioanni van Wingene Vicecancellario, Iohanni van Malcote seniori, Guilielmo van Veen, Guilielmo van Bruegel, Stephano vã Craesbeke, Ioanni Baptistæ Masio, Guilielmo van Asseliers, Antonio d'Ittre, Philippo Vueſels, Guilielmo vã Candrieſche, Gregorio d'Ayala, Goſewino Batſono, Philippo Boxhorn, Nicolao vanden Brande, Iohanni van Maelcote Liberti, Cornelio Weellemans, Carolo de Bourgeois, & Carolo vander Eycken, Ducatus Brabantiæ Senatoribus dignißimis,

HENRICVS CVYCKIVS

Salutem optat & felicitatem.

ROMANAM Rempub. multis nominibus celebrem, viri & Senatores præstantissimi, inde cum primis laude dignam pronunciauit Maximus Valerius, quòd res & curas omnes religioni duceret esse posthabẽdas: quodq. Imperiũ ipsum, quod augustissimum Lib. 1. ca. 1.

apud illos latissimeq. diffusum erat, & ea omnia in quibus humanę maiestatis elucebat decus, vt salus & publica felicitas cōstare posset, sacris seruire debere statueret. Quod religionis studiū multo magis ornat & cōmendat Principes Christianos; qui Deum verum, cęli terræq. opificem agnoscunt, & fidei Christianæ imbuti præceptis, hanc quoque sollicitudinem rebus omnibus meritò anteponendam censent, qua ea quæ ad Dei pertinent cultum, ad illius inuocationem, ad sacrificia, ad sacrorum ritus tantæ maiestati congruentes, ceteraque omnia quæ sedulam seriamque diuini numinis deposcunt venerationem, primum omnium procurantur: & magna fortitudine animi, in orthodoxa tuenda religione, & propulsandis depugnandisque sacrilegis illius temeratoribus, neque impendiis vllis, nec periculis aut laboribus, nec ipsi denique vitę parcendum iudicant. Cuiusmodi Principes cōplures sub noua lege futuros S. Isaias

Cap. 49. & 60.

Va-

vaticinatus est : qui tanquam nutritij Ecclesiæ filij, eius se totos dederent obsequijs, eiq́ue in accepta diuinitus imperandi potestate subseruirent . Hoc enim ad munus illorũ pertinere docet B. Augustinus, vt pacatam suis tẽporibus procurent esse matrem Ecclesiam, cuius ipsi spiritualiter regenerati sunt filij. Quod ita fiet, si Ecclesię Prępositis, gladij sui auctoritate, quam non sine causa à Deo ipsis tributam scribit Apostolus, operam præstent fidelem; si ad repurgandas pernicioſæ doctrinæ sordes, ad expugnãda hæreticorum studia, ad Paganismum & Mahometismum exterminãdum, maxima quæque adire pericula, & bella suscipere, ac in ijs mortem quoq. ipsam oppetere parati sint. Ad quod Christianæ fortitudinis studium grauiter sapienterq́. noui Testamenti Principes ac Reges admonet Regius Vates in illis secũdi Psalmi verbis: Et nunc Reges intelligite , erudimini qui iudicatis terram . Seruite Domino

Tract. 13. in Iohan.

Rom. 13.

in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam. Quid enim Gentium Reges, effecti Christiani, laudabilius, quid religiosius præstare potuerunt, quàm vt gladij sui vsum ad tuendam Christi Ecclesiam, quã veluti matrem omnes agnoscimus & veneramur, conuerterent? vt opes, vires, ac arma sua omnia conferrent ad prouehendum Christi regnũ, & ad frangendum hominum conatus, qui inconcussam & orthodoxam eius fidem, siue errorum suorum nebulis, siue armorum potentia labefactare & conuellere nitebantur? Quid enim? si gladium acceperunt tanquam vindices in iram his qui malè agunt, & si ad conseruandam Reipub. tranquillitatem, parricidas, adulteros, ac alios flagitiosos coërcent homines, pœnisque afficiunt, non exserent gladium suũ in eos qui Reipub. multo sunt nocentiores, & luem adferunt, qua fingi nulla alia perniciosior potest? Et si læsæ maiestatis humanæ reos capitis ple-

plectunt ſupplicio; non animaduertent in eos qui in ipſum Deum, eiuſque myſteria ſacroſancta blaſphemas euomut voces, & Chriſtianam pacem cum incredibili & incomparabili multarum animarum diſpendio lacerãt & perturbant? Donatiſtarum ea fuit olim ſententia: qui cùm aduerſus perfidiã ſuam non ſuſtinerent eas condi leges, quibus ipſi à diſſeminandis erroribus ſuis ciuilium pœnarum metu cohiberentur, Apoſtolorum obijciebant modeſtiam, qui nullas eiuſmodi leges à Principibus popoſciſſe leguntur. Verùm B. Auguſtinus Bonifacio Comiti ac militari viro ſcribens, facilè diluit illam Donatiſtarum obiectiunculam, ab illius cõſtitutione temporis ratione deſumta: quãdo nulli adhuc Reges fidem Chriſti ſuſceperant; ſed immani adhuc fremitu inania omnes meditabãtur conſilia aduerſus Dominũ, & aduerſus Chriſtũ eius. Nondum verò agebatur (inquit Auguſtinus) quod in Pſalmo illo ſubijcitur; Epiſt. 50.

Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram : Seruite Domino in timore, & exultate ei cũ tremore. Nam quomodo in timore seruiunt Domino Reges, nisi ea quæ contra iussa Domini fiunt, religiosa seueritate prohibendo atque plectẽdo? Aliter enim seruit quia homo, aliter quia etiam Rex est. Quia homo est, seruit ei viuẽdo fideliter: quia verò etiã Rex, seruit, leges iusta præcipientes, & contraria prohibentes, conuenienti rigore sanciendo. Tum verò ab exemplis, quod dixit, confirmat Au-
4. Reg. 18. gustinus. Sicut seruiuit Ezechias, lucos & templa idolorum, & illa excelsa quæ contra Dei præcepta fuerant cõstructa,
4. Reg. 23. destruendo. Sicut seruiuit Iosias, talia
Iona 3. & ipse faciendo. Sicut seruiuit Rex Niniuitarum, vniuersam ciuitatẽ ad placandum Dominum compellẽdo. Sicut
Danielis 4. seruiuit Darius, idolum frangendum in potestatẽ Danieli dando. Sicut seruiuit
Danielis 3. Nabuchodonosor, omnes in suo regno positos à blasphemando Deo terribili

lege

lege prohibendo. Addi possunt & Machabæi fratres: qui propter auitæ legis studium, propter Dei legẽ, propter aras, & locum, ac ritus sacros fortiter prœliati sunt bella Domini. In hoc ergo Reges Domino seruire putandi sunt (ait Augustinus) cùm ea faciunt ad seruiẽdum illi, quæ non nisi Reges facere possunt. Cùm itaq. Reges nondum seruire Domino cœpissent temporibus Apostolorum, non vtique tunc poterant impietates prohiberi legibus eorum, sed magis exerceri. Posteaquam verò impleri cœpit quod scriptum est, Et adorabunt eum omnes Reges terræ; quis mẽte sobrius Regibus dicat; Nolite curare in regno vestro à quo teneatur vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri: non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit esse siue religiosus, siue sacrilegus; quibus dici non potest; Non ad vos pertineat in regno vestro quis pudicus esse velit, quis impudicus? Hæc doctissimus Augustinus tum hoc in loco, tum alibi Psalm. 71.

Lib. 2. cap. 92. aduersus Petilianum Donatistam scribens diligenter inculcat: dum aliter homines, qua conditione homines sunt; aliter pro munerum quibus funguntur diuersitate, Deo seruire debere demonstrat. In quam sententiam quoque Magnus Pōtifex Leo ad sui temporis Augustos Imperatores frequētiùs scripsisse reperitur. Nam Theodosio Augusto in

Epist. 25. epistola scribit in hæc verba: Cùm Ecclesiæ causſa statum regni vestri agamus & salutis; vt prouinciarum vestrarum iure potiamini, defendite contra hæreticos inconcussum Ecclesiæ statum; vt & vestrum Christi dextra

Epist. 31. defendatur imperium. Eiusdem Pontificis & illa ad Pulcheriam Augustam sentētia est: Res humanæ tutæ aliter esse non possunt, nisi quæ ad diuinam confessionem pertinent, & Regia & sacerdotalis defendat auctoritas. Rursus autem furētibus in Ecclesiam Eutichianis hæreticis, Leonem semper Augustum Imperatorem Pontifex Leo his verbis

gra-

grauiter prudẽterque admonuit: Debes incunctanter aduertere Imperator, Regiam poteſtatem tibi non ſolùm ad mũdi regimen; ſed maximè ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam: vt auſus nefarios compeſcẽdo, & quæ bene ſunt ſtatuta defendas, & veram pacem his quæ ſunt turbata reſtituas. Quò pertinet & illa ad Anatholium Conſtantinopolitanum Epiſcopum in alia epiſtola ab hoc ipſo Pontifice ſcripta reprehenſio; qua ſupinitatẽ illius acri obiurgatione incuſat, quòd pernicioſa quadam conniuentia toleraſſet hæreticos: & monet vt à Principe depoſcat opem ad eos cõprimendos. Ac ne noſtrorum tantummodo teſtimonijs, quod dixi, comprobare velle videar; D. Iuſtiniani quoque auguſtiſſimi & religioſiſſimi Imp. hîc attexam ſentẽtiam. Is quodam in loco, fidei Catholicæ zelo accenſus, ita exclamat: Nos omni prouidentia curam gerimus Eccleſiarum; per quas & Imperium noſtrum ſuſtineri, & publicas

Epiſt. 75.

Epiſt. 76.

Nouella 42 & in Authent. coll. 1. tit. 6.

res

res per Dei clementiam muniri credimus. Et rursum: Nos maximam sollicitudinem habemus circa vera Dei dogmata, & circa Sacerdotum honestatem: quam illis obtinentibus, credimus, quia per eam maxima nobis dona dabuntur à Deo: & ea quę sunt firma habebimus; & quę nondum hactenus venerunt, acquiremus. Quid à piissimo optimoque Imp. dici dignius, quid religiosius potuit? Dei & sacrorum cultum primo ac summo loco haberi voluit: inde verò cetera omnia, quæ vel ad publicam Imperij, vel vniuscuiusque priuatam pertinēt salutem, exspectāda esse existimauit. Sed nihil ad id quod volumus stabiliendum tam efficax proferre mihi posse videor, atque laudatissimorum Principum, & horum in primis Brabātiæ Ducum exempla; quorum Sacram hîc depromimus Militiam. Nōne enim magnam omnino lucem ad illud comprobandum conferent, quæ ab illis pro tuenda Catholicæ fidei veritate, aduersus

ſus paganos, barbaros, atque hæreticos ſuſcepta fuere bella atq. pericula? Continua enim illa ac veluti concatenata propagationis ſeries, in qua omnes tanquam ab vno acti Spiritu, & pari conſenſione animi, in Catholicæ fidei defenſionem conſpirauerunt; quid aliud quæſo teſtatur, quàm nihil illos hoc ſtudio prius vel antiquius habuiſſe, indeque, ſicut de ſuo Imperio exiſtimauit Iuſtinianus, omnẽ tum publicam, tum priuatam æſtimaſſe felicitatem? Nec fruſtra ſanè: Nam hoc illorũ ſtudium, cui ſumma erga Apoſtolicam ſedẽ obſeruantia coniuncta ſemper fuit, longè maximum Brabantię ſplendorem contulit, & peperit felicitatem. Hinc Regna & Imperia ad Brabantos ſunt tranſlata; & Imperatorum ac Regum beneficio, non pauci è Brabãtia & ſtemmate Brabantico ad ſupremi Apoſtolatus faſtigium aſſumpti. E quibus paucos hîc, qui præ alijs maximè illuſtres fuerunt, ex ordine recenſebo. Ac primo quidem

loco

loco ille se offert, qui cùm Bruno dictus antea fuisset, ad Apostolicam euectus cathedram, Gregorij nomen assumsit; & inter illius nominis Pōtifices, Quintus fuit appellatus. Is parentem habuit Ottonem Ducem, auum Conradum Sapiētem, Lotharingiæ Ducem, Magni Ottonis Imperatoris generū. Cuius busto hi inter alios inscripti sunt versus:

Hîc quē condit humus, oculis vultuq́; decorū,
Papa fuit Quintus nomine Gregorius.
Antè tamen Bruno, Francorum regia proles,
Filius Ottonis de genitrice Iudith.
Pauper[illegible] diues per singula sabbatha vestes
Di[illegible] cautus Apostolico.
Vsus Franciſca, vulgari, & voce Latina,
Instituit populos eloquio triplici.
Tertius Otto sibi Petri commisit ouile,
Cognatis manibus vnctus in Imperium.

Gregorium Quintum non longo interuallo secutus est Leo Nonus, Tullensis antea Episcopus: qui & ipse Bruno, aut (vt alij volū) Bauno appellatus

antea

antea fuerat. De quo ad decimumnonum Aprilis diem, ita Romanum siue Gregorianum legit Martyrologium: Sancti Leonis Papæ Noni, virtutum & miraculorum laude insignis. Eius laudes Petrus in Catalogo, Sigebertus, & Anselmus Remensis monachus latissimè describũt: & inter multa illius pietatem, innocentiam vitæ, & hospitalitatem miris & magnis encomijs extollunt. Nam cùm aliquando pro foribus suis (quas peregrinis pauperibusque patẽtes semper & expositas habebat) leprosum pauperem ac pannosum conspexisset, præcepisse fertur ministris suis, vt in suum ipsius lectum refocillandum illum inferrent: die verò altero, cum pauper ille diligenter conquisitus nusquam inueniri potuisset, creditum fuisse Christum sub imagine leprosi in lecto Pontificis recubuisse. Sed inter alia, nihil æquè Põtificis illius actiones commendat, atque longa illa & perdifficilis profectio, qua ad compo-

Petrus lib. 4. cap. 65. Sigebert. de viris illustrib. cap. 153. & Anselmus in Itinerario S. Leonis.

ponẽdas Belgarum, à quibus originem duxerat, controuersias, ex Vrbe Aquisgranum vsque descendit. In quo itinere, dictu mirum est, quanta & quàm vtili Pontificiæ auctoritatis ostensione Remis Synodum celebrauerit; quanto veritatis studio, qua dexteritate atque iudicio, qua fide causſas ecclesiasticas tractauerit: diuina in omnibus adiutus directione. Omnibus verò ex animi sententia confectis negotijs in Italiam reuertens, aduersus Nortmannos, cognatum suum Godefridum Lotharingiæ Ducem secum abduxit, eiusque fratrem Fridericum; quem suum creauit Cancellarium; & qui secundus à Leone Pontifex factus, Stephani Noni nomen accepit. Huius pater fuit Gothelo, Lotharingiæ & Mosellanorum Dux, ad S. Hubertũ in Arduenna sepultus. Fratrem habuit Godefridum, qui à Gothelone proximũ in Ducatu Lotharingiæ locum obtinuit; cum Beatrice, opulentissima Italiæ Comitissa, & potentis-

simi

simi Marchionis Bonifacij vidua matrimonio copulatus. Habuit & filium Godefridum, quem vocant, Gibbosum, Lotharingiæ Ducem, cuius coniunx Mathildis, Lombardiæ Canusliq. Comitissa (illo Antuerpię vita defūcto) à bellis pro Dei Ecclesia fortiter susceptis, apud Historicos celebratur. Godefridi verò illius, qui Gotheloni in Ducatu Lotharingiæ proximè successit, soror fuit Oda, Comitissa Louanienſis: cuius egregia virtus & pietas eluxit in erigendis, cum Lamberto marito suo, D. Petri Louanij & Bruxellis D. Gudilę Canonicorū Ecclesiis: quibus & tertiū, marito ex hac vita sublato, D. Odæ in Campestri Brabantia Canonicorū adiecit Collegium, in quo & sepulturam sibi delegit. Sed reuertamur ad Stephanum Pontificem. Is igitur ex Archidiacono Ecclesiæ Leodiēsis, à nono Leone Cacellarius Romæ factus & Bibliothecarius, ad Constantinopolitanā Ecclesiam à Pōtifice mittitur; quę à Romana

iteratò iam moliebatur defectionem. Quod res ipsa cõprobauit: negantibus Patriarcha & Imperatore ad Pontificiũ Nuncium, cùm illuc peruenisset, accedere. Quam ille ignominiam indignè ferẽs, & Apostolicum zelum imitatus, detractis sibi calceis, puluerem pedum suorũ, ipsosq; calceos ab illis digrediens proiecit. Illi heroicam hanc animi fortitudinẽ in Apostolico viro admirati, ac repentè in homines alios conuersi, facti sui indignitatem, multis etiam profusis lacrymis, expiauerunt: & Clero vniuersoque populo cõuocato, induti sacco, & cinere aspersi, Põtificio Legato obuiam procedentes, & ad terram vsq; prostrati, Apostolicam in eo venerati sunt auctoritatem. Tum ille profligatis damnatisque hæreticis, qui in partibus illis ruinę atque erroris auctores multis fuerant, rebusque omnibus rectè feliciterque peractis, acceptis etiam muneribus, quę Patriarchæ & Imperatoris nomine D. Petro Romæ offerret, in Italiam est

reuer-

reuersus. Sed in ipso itinere à Trasimũdo Comite, per auaritiam & libidinem multis ac grauibus affectus cõtumelijs, cùm se, propter fratris sui Godefridi cũ Beatrice Thusciæ Ducissa initum coniugium, Henrici Imp. odio laborare animaduerteret, illius volens declinare inuidiam, Cassini monachum induit: nec multo pòst ad Cassinensem Abbatialem euectus dignitatem, à secundo Victore, qui eo tempore post nonum Leonem Pontificatum administrabat, Cardinalitia infula honoratus; cùm è Thuscia, Victore mortuo, Romam veniisset, summa gratulatione omnium, è suo hospitio in Basilicam S. Petri ad Vincula vi pertractus, in die S. Stephani Põtificis & Martyris, Stephanus nonus est appellatus. Pontifex factus, mox aduersus Henrici Regis studia se armauit, & ad Mediolanensis Cleri se conuertit reformationem. Ac primum omnium corruptelas, quæ in sacerdotiorum & Ecclesiarum collationes, in coniugia

sacerdotum & illicitas consanguineorũ irrepserant nuptias, prudenti admodùm ac maturo sustulit iudicio: ipsamque ecclesiam Mediolanensem quæ se à Romana ducẽtis propè annis subduxerat, ad illius obedientiã reuocauit. Sedit vir sanctus octo ferè mensibus: & cùm morituru se præsentisceret, Hildebrandum, quem ad Imp. Nuncium destinarat, à multarũ rerum experiẽtia & ab acri iudicio commendatum, in consilium adhiberi præcepit, vbi de diligẽdo successore ageretur. Nec fefellit eum exspectatio: Nam huius consilio Benedictus decimus, qui malis artibus ad supremam cathedram conscenderat, non multo pòst Pontificatu deiectus fuit: & eodem suadente Hildebrando, Gerardus Allobrox, cui secũdi Nicolai nomen inditum fuit, in Pontificiam Sedem surrogatus. Ipse verò Pontifex Stephanus Florentiæ diem vltimum obijt, plurimis sanctitatis miraculis clarus. Ab hoc Stephano, octauus in se-

rie

rie Pontificum fuit Calliſtus ſecundus, antea Guido vocatus, natione Burgundus, & Viennẽſis Archiepiſcopus. Qui ab Aſiatico quidem bello, quod magno fidei ardore magniſque impendijs aggreſſus eſt, laudem non exiguam meretur: ſed multo maximam ab ea cõciliatione, qua diſſidio illi quod inter ſeptimum Gregorium Pontificem, & quartum Henricum Imp. propter ſacerdotiorum cõllationes pridem fuerat excitatum, finem impoſuit; & Epiſcopatuũ, Abbatiarum, aliarumque eccleſiaſticarum dignitatum ab Impp. ac Regibus vſurpatas electiones, Clero & Monachis (quod res ipſa poſtulat) reſtituit. Qua in re efficiẽda, adiutores adhibuit Lambertum Bononienſem, Oſtienſem Epiſcopũ; & Gregorium de Papareſcis Romanum: qui & ipſi propter hanc maximè Pontifici ſummo, totique Eccleſiæ præſtitam operam, Calliſto in Pontificatu cõtinua ſerie ſucceſſerunt: hic ſecundi Innocentij, ille Honorij ſe-

cundi nomen adeptus. Callisti porrò Pontificis sororem, Clementiam, Flandriæ Comes Robertus coniugẽ accepit: eoq. vita defuncto, eadem illa Clementia nupsit Godefrido de Louanio, etiam viduo, & magno Lotharingiæ Duci. Prætereo hîc Amadæum, Sabaudiæ Ducem, cuius coniunx Maria, soror fuit Antonij Ducis Brabantiæ, amita verò Iohannis illius qui Louanienſem cõdidit Vniuersitatem. Is cùm in Basileensi Synodo vxore orbatus fuisset, factus Decanus Militum Iesu Monasterij S. Mauritij, in Põtificem summum electus est & cõfirmatus. Verũ vt Sextum hîc Hadrianum silentio pręteream, non sinit Pontificis illius eximia & rara in Deum pietas, zelus, eruditio, prudẽtia: qui tametsi patria fuerit Vltraiectinus, Louanium tamen ad almam hanc studiorum Matrem, & ad Porci pædagogium, ad capiendum animi cultum ablegatus, breui interuallo temporis, inter Dialecticos, Philosophos, Mathematicos,

cos,

cos, & Theologos principem locum obtinuit. Nec multo pòst propter incredibilem vitæ integritatē & doctrinę præstantiam, Canonicorum omnium suffragio, D. Petri Louanij pronũciatus est Decanus, & Louanienſis Academiæ Cancellarius: vt hac meritò consideratione, inter illustres Brabātię viros conferi ac adnumerari debeat, eiusq. ad supremi Apostolatus fastigiũ assumptio & huic Reipub. litterariæ, & toti Brabantiæ magnũ splẽdorem & magnum conciliauerit ornamẽtum. Hunc Pontificem Carolus Quintus, Augustæ memoriæ Dux Brabantiæ, morum studiorumque suorũ Louanij habuit præceptorem; eundemq. summum postea Pontificem effectum, vti parentẽ suum, optimumque & supremum Pastorem, semper est veneratus. Quãta enim inter duos hos principes viros animorum fideiq. semper cõsensio fuerit, vel maximè illę Hadriani Pontificis ad Fridericũ Saxoniæ Ducẽ testantur litteræ, quibus

in hæc verba Ducem alloquitur: Viuũt vnà Pontifex Hadrianus & religiosissimus Imp. Carolus, meus carissimus in Christo filius & alumnus: cuius tu edictum verè Christianum, aduersus Lutheranam perfidiam, & quod talem decebat Imperatorẽ, nõ sine graui offensa ac vilipensione Cæsareę maiestatis violare non erubuisti. Non committemus vt quos Magnus Carolus & Hadrianus Pontifex in Christo genuerunt; nunc Hadrianus Põtifex & Carolus Imp. sub schismatico & hæretico Tyranno, hæresum ac schismatum sinamus interire contagione. Quare reuertimini ad cor tu tuique miserè seducti Saxones, nisi vtrumq. gladium, Apostolicum simul & Cæsareum, velitis experiri. Hæc ille sanctissimus & maximus Põtifex: cuius hę toto terrarum orbe celebratę laudes, sicut & illorum quos è Brabãtico procreatos stemmate paullo antè enumerauimus, Brabantiam nostram mirificè exornant & illustrant. Ex his enim, quẽ-

admo-

admodum & è Sacrę Militię clariſſimis exemplis, poſteritas omnis ad heroïcas illas animi virtutes, & bellicam fortitudinem pro Catholica religione ſumendam inflāmatur. Quod vtinam ea fide ac integritate qua oportet faciāt, qui in hac rerum Belgicarum ſcæna ſub Catholico Rege ac Duce noſtro Philippo, pro orthodoxa & Romana fide religione quę arma ſumſiſſe videntur. Ipſius profectò Regis Philippi ſtudium indefeſſum, tum in alijs quibus imperat, & pro quibus bella gerit prouincijs ac regnis, tum in Brabātia & afflicto Belgio noſtro, non collimat aliò, quàm vt fidē à maioribus ipſius religiosè defenſam nobis conſeruet. Nec fatigatur zelus illius, nec labaſcit ſollicitudo, nec vincitur aut frāgitur animus curarū & impendiorum tum frequētia tum magnitudine: ſed in omnes penè totius Chriſtiani orbis partes ſiue tuendæ, ſiue propagandæ fidei Catholicæ ſtudium, omneſq. ſuas vires vſqueadeo diffundit,

vt, si ciuilem spectemus potestatẽ, huic vni in primis eius conseruatio accepta ferenda videatur. Huius igitur tantiq. Principis insignem prorsus, raram & auitam pietatem vt ijs omnibus, qui stipendia sub eo merentur, tanquam in speculo proponerem imitandam, ac veluti ad æmulationem prouocarem, volui breuem hunc Militiæ sacrę Principum Lotharingiæ inferioris, quę Brabantia nunc dicitur, ab eximio viro Ioanne Molano Louanienſi Theologo & Historico clarissimo, conscriptum Commentarium in lucem proferre. Id quod ante me clarissimæ memorię vir, & huius Academiæ nostræ illustre ornamentũ Dn. Henricus Grauius, etiam Louaniẽsis Theologus, post susceptam nuper legationẽ Romanam, à qua immortalem gloriam nostrę peperit Vniuersitati, in ipsa Vrbe facturus fuerat, nisi magno & nostrę litterarię, & totius Reipub. Christianę dispẽdio, vix exacto semestri legationis suæ spacio, præma-

tura nobis morte ereptus fuisset. Hanc igitur cũ molirer posthumi fœtus editionem; nec mecum statuere facilè possem, sub cuius nominis auspicio id facere deberem; post varias consiliorum agitationes, vestræ Amplitudines in mentem mihi venerunt: quarum patrocinio ac fauore niti confidentiùs audeo, quòd in Amplissimo isto Brabātię consessu Ducis nostri personam sustinetis; & qui illius zelum ac fidem, eiusque erga Deum & Ecclesiam Christi obseruantiam (quod vestrarum est partium) imitari conamini; hãc etiam omnium Brabantiæ Ducum, & ipsius Regis ac Ducis Philippi Militiam sacram, vestro fauore beneuolentiaque prosequamini: & si dignam iudicatis, apud sacram eius Maiestatem, (in cuius laudibus historia hæc absoluitur,) vestro calculo vestraque commendatione, dignam editione pronuncietis. Quod superest, Amplissimi clarissimiq. Domini, Deum Opt. Max. oro, vt Amplitudinibus

nibus vestris spiritum consilij largiatur; qui vos in isto gerendo Magistratu dirigat ad gloriam suam, & ad ea iustitiæ ac pacis suggerenda consilia, quibus aliquando tandem post diuturnas clades & calamitates reflorescat Brabantia nostra, & ad diu exoptatam perueniat tranquillitatem. Louanio, Idibus Martijs, 1592.

Vestrarum Amplitud. studiosiss.

Henricus Cuyckius, D. Petri Louanij Decanus, & Vniuersitatis Cancellarius.

IN LIBRVM DE SACRA MILITIA DVCVM BRABANTIAE

Auctoris Præfatio.

ILLVSTRES *ac præpotentes Brabantiæ duces non altiori oportet repetere principio, quàm à Religiosissimo Principe Pipino eius nominis primo. Qui enim à temporibus Iulij Cæsaris, aut longiore mendaciorum cathena à diluuio Noë, Brabonum multorum seriem & historias recentibus scriptis vsque ad tempora Pipini primi deduxerunt, ij non historiam scripserunt, sed in confingendis nescio quibus Vtopiæ monstris, eorumque ampullosis nugis, bonas horas male collocauerunt. Quare in Vernaculis trigesimo anno supra sesquimillesimum Antuerpiæ excusis historijs modestè indi-*

indicatur á Carolomanno Pipini patre communiter inchoari Brabantiæ Chronica, ijs tantùm exceptis Chronicis, quæ Magister Iohannes Clericus Antuerpiensis collegit.

Sit igitur Pipinus primus Ducatuum Lotharingiæ & Brabantiæ Dux: quem propterea Emundus Dynterus, quatuor Ducum Brabantiæ Secretarius, genealogiam anteceſſorum deſcribens, Archiducem vocat, hoc eſt, inferioris Auſtriæ primum Ducem. Sunt alij qui eum Patriarcham vocant Brabantiæ: quòd veluti alter Abraham Deo & Eccleſiæ multos ſpirituales filios in Brabantia & locis vicinis, tum ſua ipſius, tum Sacerdotum, quos fouebat, operá genuerit. Sed fateri interim oportet, ante Pipinum aliquot Chriſtianos Franciæ Reges exſtitiſſe, quibus Brabantia parebat priuſquam proprium nacta eſſet Ducem: quorum proinde militiam ſacram huic opuſculo attexendam iudicaui.

Porrò qui hodie Brabantiæ Duces vocantur, & qui ſe tum Lotharingiæ tum Brabantiæ

bantiæ Duces scribunt, ij primò dicti fuerunt Duces Austrasiæ, quia à Regibus Austrasiæ regni Duces creabantur. Et quia in finibus Septẽtrionalibus regni Austrasiæ magnã suæ hæreditatis portionẽ possidebant, dicti quoq. fuerunt Duces Austrasiæ inferioris. Eandem verò ob causam dicti sunt etiam Duces Regni Lotharingiæ, & Lotharingiæ inferioris, posteaquam regnum Austrasiæ à Lothario dictum est regnum Lothariense & Lotharingia. Ab Otthone Frisingensi, VVitichundo Saxone, & alijs, subinde Duces Belgicæ nuncupantur, quemadmodum & à Metropoli olim dicebantur duces Louanienses, sicut videre est apud Guilielmum Neubrigensem, Cæsarium Heisterbacensem, Thomam Cantipratensem, & plures alios scriptores. Rursus autem posteaquam Lotharingia tota inferior, aut magna eius portio, Bratusbantium & terra Brachbantensis, & Brabantia dici cæpit, Lotharingiæ Duces, qui se secundo loco aut Comites aut Duces vocabant Louanienses, illius loco tituli, se Brabantiæ Duces scri-

scribebant. Inde verò cùm Ducatus Mosellanorum Lotharingia vulgata appellatione nominari incepisset, Brabantia nostra nomen hoc vulgò amisit.

Est & illud animaduertendum, primos Brabantiæ Duces non eius generis Duces fuisse, quales nunc sunt. Nam priscis temporibus illi tantummodo Duces reputabantur, qui duodecim sub se comitatus habebãt. Quo pertinet illud quod de Pipino in Annalibus Francorum legitur: Domum reuersus, Griphonem, more Ducum, duodecim Comitatibus donauit.

Annon. li. 4. cap. 61.

Illorum præterea temporum Duces non huius aut illius ditionis Duces erant, sed Duces creabantur ad gubernationem regni, aut ad fidei Catholicæ defensionem; quales in militia sunt quos olim Primipilares, vel quos Colonellos vocamus, qui decem præsunt capitaneis. Primi proinde Brabantiæ Duces non Ducatus illius qui dicebatur Austrasia, sed in regno Austrasiæ Duces erant, & Ducum officium præstabant. De quo perantiquo

Ducum

Ducum & Comitum genere inter alios tractat Theodorus Adamæus in suis ad Procopium de ædificijs Iustiniani, annotationibus. Illi ergo ad militiam pro cuiusque regni aut regionis conseruatione destinabantur, sed tamen Militum nomine non censebantur, nisi per militaris Regulæ professionem inaugurati, ac sacræ veluti Militiæ adscripti fuissent. Ceteri enim, etiam Comites, Duces, Reges, & Imperatores, Armigeri, non milites dicebantur. Huc pertinet illud quod in vetustis Brabantiæ nostræ Annalibus scribitur, Anno 1118 *Godefridum Brabantiæ Ducem iter Ierosolymam versus instituisse, eiusque filiũ Henricum militem creatum fuisse. Tale & illud est quod de Guilhelmo Hollandiæ Comite, illorum temporum vicinus scriptor, & Iohannis Traiectensis Episcopi, ac Guilhelmi Palatini, Comitis Hollandiæ historicus, Iohannes Becanus, memoriæ tradidit. Eum adhuc armigerum exsistentem, cùm esset Domicellus Hollandiæ, scribit Becanus in Imperij Regem Romanorum electum fuisse, & ea propter*

mox

mox apparatum feciſſe, vt more aliorũ Chriſtianorum Imperatorum Miles conſecraretur, priuſquam Aquiſgrani diadema regni ſuſciperet. Cùm itaque in ſolennis Miſſæ officio, Euangelio decantato, Guilhelmus armiger à Rege Bohemiæ coram Petro Capucio, Cardinale S. Georgij, ad velum aureũ productus fuiſſet; Bohemiæ Rex, qui eum ſiſtebat, hæc ad Illuſtriſſimum Cardinalem verba depromebat: Veſtræ Reuerẽtiæ, pater almiflue, preſentamus hunc electum Armigerum; deuotiſſimè ſupplicantes, quatenus veſtra Paternitas votiuam eius profeſſionem ſuſcipiat, vt militari noſtro Collegio inſcribi valeat. Tùm verò Cardinalis Ampliſſimus, præmiſſa monitione, qua electum Imperatorem inſtruebat, quòd Miles debeat eſſe

M agnanimus in aduerſitate,
I ngenuus in conſanguinitate,
L argifluus in honeſtate,
E gregius in curialitate, &
S trenuus in virili probitate:

præle-

prælegit ei Militaris Regulæ iugum; cuius hoc exordium est: Hæc est Regula Militaris ordinis: In primis cum deuota recordatione Officium Dominicæ passionis diurnatim audire; Pro fide Catholica audacter corpus exponere; Sanctam Ecclesiam, eiusque ministros, à quibuscunque grassatoribus liberare; Viduas, pupillos, & orphanos in eorum necessitate protegere. His, & ijs quæ ad finem Regulæ sequuntur, lectis, dixit Dominus Cardinalis: Vis Militarem ordinem in nomine Domini deuotè suscipere, & Regulam tibi verbotenus explicatam pro tua possibilitate profiteri? Respondit electus, Volo. Et mox accepta Regula legit in hæc verba: Ego VVilhelmus, Hollãdiensis Militiæ Princeps, sacri Imperij Vasallus, liber, iureiurando profiteor Regulæ Militaris obseruantiam, in præsentia Domini mei Petri ad velum aureum Diaconi Cardinalis, & Apostolicæ Sedis Legati per hoc sacrosanctum Euangelium, quod manu tango. Cui Cardinalis: Hæc deuota professio sit peccatorum tuorum vera remissio, Amen.

Quibus peractis, Rex Bohemiæ grandem colaphum in collum tyronis dedit, dicens: Ad honorem Dei omnipotentis te Militem ordino, ac in nostro Collegio te gratanter accipio. Et memento quoniam Saluator mundi coram Anna Pontifice pro te colaphizatus & illusus est; coram Pilato Præside flagellis cæsus, ac spinis coronatus; corã Herode chlamyde vestitus, & derisus est; & coram omni populo nudus ac vulneratus in cruce suspensus est. Cuius opprobria memorari te suadeo; cuius crucem acceptare te consulo; cuius etiam mortem vlcisci te moneo.

Hæc idcirco volui commemorare, vt militaris instituti ratio intelligatur, ea nempe quam hîc describimus sacram; ac vt hinc vnicuique promptum sit cognoscere, quàm nunc ab illo tam pio degenerent instituto Duces, Principes, Comites, Signiferi, alijque qui Christianæ quoque religionis caussa militiæ adscribuntur; qui, præterquam quòd grassatorum potiùs quàm Christianorũ militum numero habendi sunt, nullo zelo tuendæ

fidei

fidei Catholicæ ducuntur: interdum etiam à ſacris non cohibent impias atque impuras manus.

Ad illam verò Militaris ordinis dignitatem Philippus Burgundiæ & Brabantiæ Dux aliam quoque prorſus magnificam Heroum & Equitum aurei velleris ſocietatem adiecit: quæ ſimiliter ad Catholicæ fidei tum defenſionem, tum propagationem eſt inſtituta; & cui non niſi principes viri, qui gladij ac armorum vſu de Chriſtiana religione bene meriti ſunt, inſcribi cõſueuerunt. A quo Philippi inſtituto ita in eius Epitaphio ſcriptum ſculptumque habetur:

Tuta à nobilibus quo Eccleſia firmior eſſet,
Nobilis inuentus velleris ordo mihi eſt.

Is ordo poſteaquam Militaris exoleuit, etiamnum in vſu eſt; in quem Philippus Auſtriacus, Rex noſter Catholicus, annis ſuperioribus egregios aliquot Belgicæ Militiæ Duces ſolenni ritu atque apparatu cooptauit.

Vellem equidem Duces omnes, & omnes qui sub Ducibus Deo eiusque Ecclesiæ militant, eodem duci zelo quo Philippus Rex, & Dux noster; ac sæpe in hac sacræ Militiæ descriptione illorum Ducum & Principum pietatem, fidem, constantiam, & in Deum eiusque ministros admirari obseruantiam, & ad eam consectandam inflammari. Esset profectò vnde sibi Catholica gratularetur Ecclesia; & vnde finem funesti ac diuturni huius belli sperare meritò possemus. Sed iam ad singulorum Ducum sacram militiam ex ordine describendam prograediamur.

2. *Machabæorum 15.*

Accipe sanctum gladium, munus à Deo, in quo deijcies aduersarios populi mei.

Leo Brabantiæ:

Quæ regio in terris nostri non plena laboris?

Esaias cap. 49.

Erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuę: vultu in terrà demisso adorabũt te, & puluerem pedum tuorum lingent.

August. Tract. 11. in Ioan.

Pertinet hoc ad Reges seculi Christianos, vt temporibus suis pacatam velint matrem suam Ecclesiam habere, vnde spiritualiter nati sunt.

DE CLODOVEI, REGIS FRANCORVM VICTORIA CONTRA VISIGOTHOS ARRIANOS.

CAPVT I.

SACRAM militiam Christianorum Principum Brabantię, à Clodoueo Rege exordiri oportet. Eius auspiciis Christiani prima omnium pro religione signa Christo duce cum hostibus cõtulerunt, & contra Visigothos, Arriana hęresi infectos, feliciter primitias sacri belli confecerunt.

Hic fuit primus Rex Francorum Christianus, cui Brabantè parebant, nõdum Ducem habẽtes.

Is enim Princeps sine dubio Brabantiæ nostræ imperauit, non quidem Ducis honore ac titulo, sed dignitate & maiestate regia. Valentiniano namque tertio Romano Imperatori, qui homo erat libidinosus, gens Francorum, quæ transmisso Rheno in Galliis sedes fixit, omne ius & Imperium, quo Romani à Iulij temporibus in Gallia potiti erant, prorsus abstulit: non tam suis viribus quàm prouidentia diuina, iustoque Dei iudicio.

Clodoueus itaque Francorum Rex, qui è regia Burgundionum stirpe vxorem acceperat Christianam nomine Clotildem, in bello quod ad Tolbiacum in Vbiis gerebat aduer-

sus Alemannos, periculi magnitudine, idolorumque diffidentia permotus, repentè vouet se Christianum fore. Quo facto, cæso eorum Rege, confestim victor euadit, omnemque Alemaniam sibi tributariam reddidit. Cui ex prælio redeunti obuiam vadit Clotildis, voti magis quàm victoriæ caussa. Aderat ei Remigius & ætate & vitæ sanctitate, eruditione quoque & pontificatu venerandus. Occurrit etiam Vedastus, sanctissimus vir, nihil antiquius habens quàm vt voto se Clodoueus liberaret. Dignitate enim & probitate atque doctrina hoc agendum erat, ne, posthabito voto, Rex ab Arrianæ sectæ discipulis, qui iam eius sororem Lantieldem impietate infecerant, fraude caperetur. Baptizatus itaque à S. Remigio Remorum Episcopo Rex, suo exemplo & edicto, Francorum gentem ad fidem Christi perduxit; Lantielde etiam sorore ab Arriana hæresi conuersa.

Anno Christi 509. Neque multo pòst Rex Christianissimus signis diuini auxilij ad bellum animatus, cum Alarico Visigothorũ Rege congressus, eoque peremto, quidquid in Galliis Visigothi possederant, Franciæ restituit, & Tolosam inuadens sedem regni Gothorum, vsque ad Pyrenæos montes regnum dilatauit. Quam *lib. 1. c. 20.* pugnam, ait Annonius, ideo quàm maximè noscitur inchoasse, quia Gothi Arrianæ hæreseos secuti Burgundiones erant, optimamque

que

que Galliarum partem, à fluuio scilicet Ligeris, vsque ad Pyrenæorum iuga montium obtinebant.

De victoria Theodorici Regis, contra Cochlanicum Danorum Regem in agro Antuerpiensi.

CAPVT II.

CLODOVEVS pius Rex cùm triginta annis regnasset, & regnum Francorum per omnes Gallias dilatasset, hæredes instituit, à Regina vidua sancta Clotilde, liberos quatuor, è quibus Childebertus Parrhisiis, Clotharius, Sueßionis, Clodamirus Aureliæ, & Theodoricus Metis regni sedes posuerunt. *Hic fuit secundus Rex Christianus, cui Brabanti subfuerunt.*

Quibus secundum annum regnantibus, Theodoricus Rex, Clotharij frater, Cochilanicum regem Danorum Gallias vastantem peremit. Id quod latiùs his verbis prosequitur S. Gregorius Turonum Episcopus: Dani cum Rege suo nomine Cochilaico, classe nauali per mare Gallias appetunt. Egressique ad terras, pagum vnum de regno Theodorici deuastant, atque in suam redigunt potestatem. Oneratisque nauibus, tam captiuis quàm reliquis spoliis, ad patriam reuertuntur. Sed Rex eorum in litore residebat, donec naues altum mare comprehenderent, ipse mox secuturus. Quod cùm Theodorico nuntiatum fuisset, quòd scilicet regio eius *Anno 516. Sigebertus.* *lib. 3. cap. 3.*

fuisset ab exteris deuastata, Theodebertum filium suum in illas partes cum valido exercitu, ac magno armorum apparatu direxit. Qui interfecto Rege hostes nauali prælio superatos opprimit, omnemque rapinam terræ restituit. Idem refert Adonis etiam Chronologia, qui sub Rege Ludouico & Carolo simplici in Episcopatu sedit, vt ceteros scriptores, qui eiusdē rei testimoniū libris suis consignarūt, breuitatis gratia silentio præteream.

lib. 7. & 2. Addit autem Goropius, Origines Antuerpianas describens, hac victoria Austrasianum ad Antuerpiam potitum, anno quingentesimo decimo sexto, Marchionatum, hoc est, limitis præfecturam, Valoni primario Duci vnà cum sorore sua in matrimonium tradidisse, ne si qua rursus irruptio contingeret, à maioribus, quæ in Italiam cogitabat, abstraheretur. Et ex horum copula diuina stirps Caroli Magni pullulauit.

De reliquis filiorum CLODOVEI *sacris contra infideles bellis.*

CAP. III.

Hi quatuor filij secundo loco in Frācia Christiani regnauerunt.

CREDO etiam ad sacram militiam referenda esse, quæ breuiter ex Sigeberti Chronicis subiiciam.

Anno 10. XXIV. Theodoricus Rex, reposcens ab Ermenfrido Rege pactum, cum fratre Clothario insurgit in eum: eoq; post nimiam stragem suorum de bello fugato, &

non

non multo pòst mortuo, totam Thuringiam sibi subdunt. Captiuam inter alios Radegundem filiam Bertharij Regis, olim à fratre Ermenfrido peremti, Clotharius Rex suo sociauit matrimonio.

Anno ıo. xxv. Almaricus Rex Visigothorum, cùm vxorem suam Clotildem tractaret indignè, eo quòd Arrianæ sectæ secum inseruire nollet, perimitur in Hispaniis, à fratre Clothildis Childeberto.

Anno ıo. xxvi. Clotharius Rex cum fratre Childeberto, Augustodunum Burgundiæ vrbem obsidens, cunctam fugato Godemaro Burgundiam occupat.

Anno ıo. xxx. Franci extorquent de manu Athalarici quidquid Galliarum auus eius Theodoricus Rex Italiæ tenuerat.

Anno ıo. xlii. Clotharius & Childebertus fratres, obsessa in Hispaniis Cæsaraugusta, ciuibus Deum adorantibus, & circumlata Vincentij martyris tunica, accepta ab eis pro munere ipsius martyris stola, redeunt, acquisita Hispaniæ parte maxima.

Anno ıo. lvi. Clotharius Rex Frãcorũ, rebellantes cõtra se Saxones, & auxiliãtes eis Thuringos graui pugna & excidio perdomuit.

De bellis sacris filiorum Regis Clotharii.

Cap. iv.

Hi nepotes quatuor Clodouei tertio loco in Frãcia Christiani regnauerunt.

Cvm filij quatuor Clodouei annis quinquaginta regnassent, successit illis per

annos XXIII. Chilpericus cum fratribus, filij Clotharij Regis. E quibus Chilpericus Sueſſionis ſedem regni habuit, Cherebertus Parrhiſiis, Guntramnus Aurelianis, & Sigebertus Metis. Quibus regnantibus, ea quæ ſubſequuntur contra infideles geſta ſunt bella.

Anno IↃ. LXVII. ait Sigebertus hiſtoricus, Sigebertus Rex Hunnos, partes Francorum depopulantes, in Thuringia bello deuincit.

Anno IↃ. LXXXI. Duces Longobardorum Gallias ingrediuntur, & vario bellandi genere, nunc Franci, nunc Longobardi, inter ſe colliduntur.

Anno IↃ. LXXXII. Saxones in Italia à Longobardis recedentes, & terras ſuas in Germania poſitas repetere nitentes, ab exercitu Sigeberti ad viginti eorum milia cæſis, ſero à bellis deſtiterunt.

De ſacris bellis geſtis ſub CLOTHARIO *ſecundo Rege.*

CAP. V.

Hic Brabantis Ducẽ dedit Pipinum.

POST Chilpericum, quem Fredegundis vxor, & Landricus adulter è venatione redeuntem necari curarunt, quadrimeſtris filius ſucceſſit per annos quadraginta quatuor Clotharius ſecundus.

Anno 601. Qui cùm & ætatis & regni ſui annum ageret quartumdecimum, acriter cum Hunnis pugnatum eſt in Thuringia.

Anno 630. Memorabile quoque eſt bellum eius Saxoni-

xonicum. Commisso enim prælio, cùm Dagobertus filius in capite saucius multum vrgeretur, ei pater Clotharius Rex auxilio accurrens, interfecto Berthoaldo Saxonum Duce, victor euasit, omnemque Saxoniam peruagatus, nullum omnino, qui gladij sui mensurã longitudine excederet, viuere permisit. Vtriusque post alios testis est Sigebertus, Bernardi ætate diligens chronographus.

De sacra militia B. PIPINI *primi Ducis Austrasiæ.*

CAP. VI.

REGNANTE Clothario clarere incepit B. Pipinus, quem primum vocant Brabantiæ Ducem. Quare deinceps, sepositis Gallorum Regibus, de Ducum sacra militia agendum erit. *Primus Brabantiæ Dux Pipinus de Landis.*

Pipinus, ait Sigebertus, filius Caroloman-ni anno IↃC. XXV. maior domus Regis Clotharij principabatur. Pipino autem in administratione Reip. S. Arnulphus cooperabatur, filius Arnoldi, filij Amberti, ex Blitilde filia primi Clotharij Regis. Et anno IↃC. XXVIII. Clotharius Rex filium suum Dagobertum in regnum adscitum, Pipino & Arnulpho committit, Austrasiis præfuturum. Anno quoque IↃC. XXXIX. Dagobertus Rex Sigebertum filium suum Austrasiis Regem mittit, sub tutela Pipini, & Cuniberti Episcopi.

Sed ad sacra eius bella accedamus. In hi-

ſtoria huius Principis, quam à veneranda antiquitate acceptam Surius, primo tomo operis quod de Sanctorum vitis confecit, inſeruit, celebratur inferioris Auſtraſiæ Præpoſitus, & Dux glorioſus, maior domus Franciæ ſub Clotharioo Rege Francorum, & Dagoberto eius filio. Qua dignitate parum à dominatione & ſublimitate Regia differente præditus, omnia prudenti ordinatione diſponebat, præſtabatque tam in bello fortitudine, quàm iuſtitia in pace.

Verum quibus in bellis fortitudine præſtiterit, non exprimitur. Simile tamen vero eſt, quæcunque Dagobertus bella geſſerit, huius virtute fuiſſe confecta. Primùm itaque cum infideli Saxonum gente pugnatum eſt, inde cum Sclauis, deinde contra Vaſcones, ac poſtremò contra Winidos Saxonum auxiliares bellum geſſit.

Neque dubium eſſe debet, quin eius opera atque conſilio Iudicail Rex Britonum gratiam Dagoberti ſibi redemerit; &, Suintillane ob crudelitatem eiecto, Siſewindus Dagoberti auxiliis regnum Viſigothorum adeptus ſit.

Pulcerrimum de tanto Principe ad nos teſtimonium peruenit, id quod ita habet: Tempore quo Pipinus Dux egregius, & veriſſimus pater patriæ, rebus humanis exceſſit, tanto Auſtraſia dolore perculſa eſt, vt plãctui eius, planctus Regum nequaquam conferri poſſit.

possit. Fuit namque probatissimæ vitæ, ac purissimæ famæ, sapientiæ domicilium, consiliorum thesaurus, defensio legum, controuersiarum finis, munimentum patriæ, decus Curiæ, via Ducum, & disciplina Regum. Quod de Pipino elogium cum ante annos quingentos Stephanus Abbas Leodiensis insereret historiæ S. Modoaldi, pulcram subiunxit exclamationem: *Audiant ergo nunc Duces, serenissimi Ducis Pipini tot præclaras post finem eius laudes, & intelligant Reges æquitatem eius, & prudentiam, & fortitudinem, ac temperantiam. Erudiantur huius exemplo potentes qui iudicant terram.*

De bello sacro GRIMOALDI *Ducis contra Thuringos.*

CAP. VII.

ANNO IↃC. XXXXVII. Pipinus maior domus moritur. Grimoaldus filius eius in aula Sigeberti potenter principatur. *11. Dux Brabantiæ Grimoaldus.*

Ideoque eum pro honore & officio ducatus adfuisse existimo, quando Sigebertus Rex cum Radulpho Thuringorum Duce concurrit. *Anno 648.*

Verùm cùm postea nullis bellis premeretur, pietati vacare voluit. Atque eò pertinet, quod Sigebertus Rex in suo testamento scribit, sancta ac venerabilia monasteria, Stabulaus, siue Malmudarium cognominata, vbi vir venerabilis Remaclus Episcopus & Ab- *Apud Nodgerum in vita Remacli.*

bas Christo auspice præesse videtur, vir illustris Grimoaldus maior domus suo opere in vasta eremo Ardennensi construxit.

Rex quoque de prole desperans, Grimoaldi filium Hildebertum adoptauit; sed mox illi nascitur filius Dagobertus.

De sacra militia ANSEGISI *Ducis.*

CAP. VIII.

III. Brabãtiæ Dux Ansegisus cum S. Begga. Cap. 6. Vitæ S. Modoaldi 12. Maij.

GRIMOALDO Dux & maior domus successit Ansegisus. de quo ante annos abhinc quingentos scripsit Stephanus Abbas Leodiensis. Sciendum est istum Ansegisum fuisse filium B. Arnulphi, ex maiore domus Metensis Episcopi. Huic Ansegiso venerabilis Begga felici iuncta matrimonio, generosæ sobolis, & nobilissimorum Regum mater exstitit. Cuius quoque sanctitatis pia apud nos clarent monumenta, eo in loco, in quo ex diuina reuelatione septem construxit ecclesias, vbi & corpus eius à sacris virginum choris honoratur, quæ Deo ibidem famulantur. Ibi quoque coniunx piissimus Ansegisus ab ea conditus est, qui ab alumno suo, quem idem Dux puerum fortè inuentum, & è sacro fonte susceptum aluit in filium, & exaltauit, crudeliter in venatione peremtus est.

Ad huius sacram militiam pertinere nequaquam (ne quis hîc fallatur) potest, quod Ioannes de Castilione Archidiaconus Campaniæ

paniæ Brabanticę habet in ea oratione, quam coram Iulio II. Pontifice dixit: Anſegiſus, inquit, Chroſcum Wandalorum Regem, humani generis, atque Chriſtiani in primis dogmatis hoſtem cruentiſſimum, apud Treuiros bello abs ſe ſuperatum, Belgicam excedere compulit. Conſtat enim ex Gregorio Turonenſi, & aliis ſcriptoribus, Croſcum Alemannorum Regem multo ante, Valeriano videlicet imperante, qui contra Chriſtianos nouam perſecutionem mouit, Gallias vniuerſas peruagatum eſſe, & apud Arelatem gladio verberatum interiiſſe, nec immeritò pœnas quas ſanctis Dei intulerat luiſſe. *lib. 1. c. 32. 34.*

Interim dubitandum non eſt, quin Princeps Deum timens, paratus ſemper fuerit Auſtraſiæ regnum ab omnibus Barbarorum & hæreticorum incurſibus tueri: cùm ex ſacramento & fidelitate Ducatus & Marchionatus, ac primæ in regno præfecturæ, vnde Maior dictus eſt, tripliciter ad id faciendum deuinctus fuerit. Non enim tantum Dux & maior domus fuit, ſed, quemadmodum multi annotarunt, in præfectura limitanea patri ſuo ſancto Arnulpho ſucceſſit, Marchio Antuerpienſis.

De ſacra militia PIPINI *ſecundi.*

CAP. IX.

IIII. Brabantiæ Dux Pipinus Herſtallius.

ANSEGISO ſucceſſit Pipinus ſecundus Auſtraſiorum Dux, quem Ado Viennenſis

nensis Archiepiscopus scribit sub Regibus annis viginti septem principatum obtinuisse. Hic sicut nomen aui, ait Stephanus Abbas, ita & virtutem cum dignitate referens, eò magnitudinis excreuit & potestatis, vt in tota Austrasia etsi non regio nomine, regia tamen dominaretur potestate. Multa namque præclara bella gerens, in omnibus victor euasit.

Horum quidem primum fuit Frisonicum, contra Regem Radbodum. De quo inter alios Beda, Egbertus, inquit, tentauit in opus verbi mittere viros sanctos & industrios duodecim, in quibus eximius Willibrordus presbyterij gradu & merito præfulgebat. Qui diuertentes ad Pipinum Ducem Francorum, gratanter ab illo suscepti sunt. Et quia nuper citeriorem Frisiam, expulso inde Radbodo Rege, ceperat, illòeos ad prædicandum misit. Ipse quoque imperiali auctoritate iuuans, ne quis prædicantibus quidquam molestiæ inferret; multisque eos, qui fidem suscipere vellent, beneficiis attollens.

lib. 5. hist. Angl. cap. 11.

Habuit & alia contra infideles bella. Multa, inquit Ado, bella gessit contra Radbodum gentilem Frisonum Ducem. Similiter contra Sueuos, vel alias complures gentes. Erant autem Sueui Flandrorum populi, è quibus Eligius Audoëno teste multos ab errore conuertit. Suntque cum Menapiis à Nordmannis Curtraci hibernantibus ad internecio-

nem

nem deleti, vti ab hiſtoriis Francorum memoriæ traditum eſt.

Fuit poſtremò Pipini ſacrum contra Regis Theodorici tyrannidem bellum. De quo breuiter Sigebertus ſcribit ad annum IↃC. XCI. Pipinus ſibi Neuſtriam ſubiugat, & ſub Theodorico Rege toti regno principando ſtatum rerum meliorat: ſanctum quoque Lambertum in Traiectenſi præſulatu relocat. Et Stephanus Abbas: Pipinus multa præclara bella gerens, de omnibus fortiter triumphauit, ipſumque Regem Francorum Theodoricum bello ſuperans in fugam vertit. Sed & B. Lambertum, factione iniquorum de Epiſcopatu deiectum, in cathedra ſua decentiſſimè collocauit.

De CAROLI MARTELLI *ſacris victoriis, præcipuè duabus contra Sarracenos.*

CAP. X.

PIPINVS Princeps obiit, ait Sigebertus, anno IↃCC. XIV. & filium ſuum ex Alpaide, Carolum Tuditem ſiue Martellum cognomento, principatus ſui hæredem reliquit. Accepit autem hæc cognomina, quia hoſtes quaſi martello contundere videbatur. Ipſe enim antiquas patrum victorias excedens, mirabiles triũphos de Ducibus ac Regibus, de populis & barbaris nationibus reportauit. v. *Brabantiæ Dux.*

Conſecutus eſt autem perpetuam & immortalem laudem, ex victoriis contra Sarracenos, quos duobus bellis planè contriuit: de qui-

quibus breuiter scribit Eginhartus in vita Caroli Magni: Carolus Sarracenos Galliam occupare tentantes, duobus magnis præliis, vno in Aquitania ad Pictauium ciuitatem, altero iuxta Narbonam apud Byrram fluuium, ita deuicit, vt in Hispaniam eos redire compelleret. Sed de his duobus bellis paullo fusiùs differamus.

Intra centum annorum spatium, Mahometh & successores eius, qui Sarraceni & Agareni nuncupantur, potiti sunt Arabia, Palæstina, Syria, Persia, Ægypto, Africa. Traiecerunt quoque ex Africa in Hispaniam; quam cùm decem annos tenuissent, in Galliam vsque ad Turones permulta milia Sarracenorum penetrarunt. Eos primùm in Galliam duxit Abdiramus Rex, quem Eudo Westgottus Aquitaniæ Dominus contra Francos euocarat, Iamque Burdegalam vi abs sese captam Sarraceni diripuerant, & ad Turones vsque, magna passim Christianorum multitudine trucidata, peruenerant. Versabatur in summo discrimine non Gallia modò, verùm & Italia quoque ipsa. Itaque Carolus Martellus, Brabantiæ dux, relicta expeditione Saxonica, & bello Frisiaco, robur regni Francici contra Sarracenos ducit. Clàm etiam ab Eudone petit, ne Christianum nomen in Europa deleri sinat, eumque monet, vt, relicta Sarracenorum societate, cum Francico sese exercitu coniungat. Præ-

lio

lio itaque commisso vincit, Deo iuuante, Caroli Martelli exercitus, totaque illa Sarracenorum multitudo trucidatur. Periit eo bello Rex Abdiramus. Breuiter post alios de hac victoria Sigebertus scribit, ad annum Domini ɔɔcc.xxx. Sarraceni cũ omnibus familiis suis, quasi in Galliis habitaturi, Garumnam transeunt, omnia deuastant, ecclesias Dei cremant. Quibus Carolus Dei auxilio fretus bello concurrit, & ex eis trecenta octuaginta quinque millia cum Rege suo Abdiramo peremit, & mille quingentos suorum amisit. Hac tanta clade accepta, Sarraceni nondum tamen conquiescere potuerunt. Nam aliquanto pòst rursum ex Hispaniis duo ingentes exercitus in Galliam effusi sunt, freti societate Westgotthorum in Aquitania & Narbonensi Gallia regnantium. Itaque Athimus Sarracenorũ Rex cum instructissima classe Galliam Narbonensem inuasit, & Auinionem subita vi cepit, eamque ciuitatem belli caput fecit. Hanc obsidione cinctam rursum Carolus Martellus magna cum difficultate expugnatam recipit, & Sarracenos magno numero partim trucidatos expellit. Athimus Rex assumta copiarũ parte in naues fugiens, Narbonam delatus est. Quam cùm Martellus obsideret, alter Sarracenorum Rex Amorræus, vt obsessis opem ferret, ex Hispaniis venit. Properat Carolus, hoc agens ne hostium vires coniungerentur,

tur, & in valle Carbona ad Byrram fluuium cum Sarracenis dimicat. Ibi inter primos occiso Amorreo, perculsa Regis morte acies fugam instituit: itaque totus hostium exercitus partim à flumine absorptus, partim trucidatus periit. Cognita Amorræi clade, Rex Athimus relicta Narbona, ac præda ex vicinis Ligurum insulis acta, in Hispaniam reuersus est. Narbonam Carolus, ne Westgothi noua inde bella molirentur, deleuit. Fracti tot cladibus Sarraceni, qui se Gallia & Italia potituros sperarant, intra Pyrenæos deinceps sese montes continuerunt. Equidem existimo, nec vtilius, nec difficilius post id tempus bellum aliquod gestum fuisse: neque enim à Galliarum vastatione prohibiti sunt Sarraceni, sed omnem propagandæ Mahumeticæ impietatis in reliquam Europam spem prorsus amiserunt. Quid autem melius à bello sperari possit, quàm simul tot ciuium corpora, tot Christianorum familias defendi, atque ab impiissimis blasphemiis posteritatem omnem vindicari? Neque verò parum Hispaniæ vtilis ista Caroli victoria fuit. Christianorum namque reliquiæ ex Gothica gente superstites, quæ horridiora regni loca Pyrenæis montibus vicina, Cantabriam & Asturiã adhuc incolebant, paullatim inde progressæ, ac Sarracenis domitis Hispaniã recuperauerũt. Atq. ex hisce reliquiis Gothicis orta est stirps proximorũ Regũ Hispanicorũ.

Alias

Alias præterea sacras victorias obtinuit Carolus contra Gallicos quosdam Duces qui Sarracenos euocauerant. De quibus ita Sigebertus, Anno, inquit, IↃCC. XXIX. Eudo Dux Carolo per omnia inferior Sarracenos contra eum inuitat ab Hispania. Anno IↃCC. XXXII. in Vasconia cum Eudone pugnat, eumque principatu & vita priuat. Anno sequenti, Vaifero & Hunaldo filiis Eudonis in dimicando victis, Aquitaniam sibi subiugat. Anno IↃCC. XXXIX. Mauritium prouinciæ Ducem, qui inuitauerat Sarracenos, debellat, & prouinciam sibi subiugat. Anno IↃCC. XXXI. Lugduno aliisque ciuitatibus captis, Burgundiam sibi totam subiicit.

Sed nec minora in Germaniis præstitit, de quibus grata breuitate in eiusdem Sigeberti chronico legitur: Carolus anno IↃCC. XXIII. Saxones debellat. Anno IↃCC. XXIV. Baioarios armis subiugat. Anno IↃCC. XXV. contra Lanfridum Alemannorum Ducem dimicat: eoque victo, Alemanniam sibi subiugat. Anno IↃCC. XXVII. Saxones, Sueuos, & Baioarios debellat. Anno IↃCC. XXXIV. Frisiam aggressus, Poponem Ducem Frisonum cum multis perimit, & Frisiam sibi subiugat. Anno IↃCC. XL. Saxones tributarios sibi facit.

Tanta demum fuit huius Principis auctoritas, vt cùm Luitprandus Rex Longobardorum vrbem Romanam obsideret, & Romanus Pontifex auxilium contra eum peteret,

Carolus Martellus missa tantùm ad Luitprandum legatione hoc effecerit, vt Longobardus, soluta obsidione, cum Pontifice pacem iniret. Qua de re ita scriptum est apud
Anno 739. Carolum Sigonium, l.3. de regno Italiæ: Gregorius Pontifex legatos maritimo itinere ad Carolum Proregem destinauit, obtestans vt sibi atque affectis Ecclesiæ rebus succurreret, & obsidione Longobardorum vrbem eximeret. Carolus, quanto ea res honori & Regi & sibi futura esset intelligens, legatos liberalissimè excepit; & fœdere cum Ecclesia iuncto, extemplo eos cum suis remisit, datis muneribus quæ Pontifici redderent, & mandatis quæ ad Luitprandum super Romano bello deferrent. Grata Luitprando ea legatio fuit; Caroloque petenti vt Romana ditione sine maleficio cederet, haud grauatè concessit.

Decessit è vita Martellus cùm paternam dignitatem annis viginti sex tenuisset, anno Christi IↃCC. XLI. sepultus inter Reges Francos, in æde S. Dionysij. Sepulcro additum est Epitaphium:

Iste Brabantinus Dux primus in orbe triumphans,
Malleus in mundo specialis Christicolarum,
Dux, dominusq; Ducum, Regum quoque Rex fore spernit.
Non vult regnare, sed Regibus imperat ipse.

De

De sacris bellis B. CAROLOMANNI *principis priusquam sæculo renunciaret.*

CAP. XI.

CAROLOMANNVS cum fratre suo Pipino fraterna concordia patri in hæreditate indiuisim successit. Notat id Sigebertus, scribens ad annum IↃCC. XLI. Pacato & dilatato Francorum regno, Carolus bellicosus Princeps obiit, & filios suos Carolomannum & Pipinum principatus sui successores reliquit. Mox autem Pipino in Aquitania occupato, Carolomannus primùm in Alemania, deinde in Saxonia victoriis potitus est. VI. *Brabantiæ Dux cum Pipino fratre.*

Ceterùm anno quadragesimo sexto, cùm annis ferè quinque cum fratre paternas ditiones administrasset, amore Dei principatum terrenum deserens, vt in futura vita centuplicatam reciperet possessionem, primùm in Soracte monte, vbi S. Siluester delituisse dicitur, fundato monasterio se totondit, & deinde in castro Cassino laudabili vita enituit. Qua de re multa apud Reginonem, & alios historicos, & in Natalibus Sanctorum Belgij ad XVII. diem Augusti leguntur. Cassini enim inter beatos numeratur, & in arca est eleuatus.

De sacris bellis PIPINI *Regis contra Sarracenos, Longobardos, Aquitanos, Saxones, & Bauaros.*

CAP. XII.

VII. *Brabantiæ Dux Pipinus Rex Francorum dictus Brevior.*

CAROLOMANNO ad portum monasticæ vitæ secedente, sequitur Pipinus, qui ex maiore domus factus est Rex Francorum. Anno enim IↃCC. L. præcelsus Pipinus electione totius gentis, & ex communi suffragio Principum, sublimatus est in sedem regni, & à S. Bonifacio Archiepiscopo inunctus, deposito Childeberto, qui tantæ potestati erat inutilis, priùs tamen missa legatione ad sedem Apostolicam, & inde auctoritate percepta, quia consensus & auctoritas Romani Pontificis huic negotio necessaria videbatur. Postea à Stephano Papa, qui Zachariæ successit, quòd Remp. Romanam ab Aistulphi Regis Longobardorum incursibus defendisset, Apostolica benedictione cum vxore & liberis in regnum perpetuo est confirmatus. Leguntur hæc passim apud Annonium, Reginonem, Sigebertum, alioſque veteres scriptores.

I. *Archiducatus Austriæ initium.*

Hic itaque Princeps limitem Francici imperij ad Noricum vsque propagauit, nouamque istic Austriam auspicatus est, cùm Pontifici Romano fidam operam aduersus Sarracenos, orã Italiæ deuastantes, nauasset. Testis est Lazius l. III. de gentium migrationibus.

Et

Et vt reliqua addamus ex annalibus rerum Pipini, anno IↃCC. LIII. Stephanus Papa venit ad Pipinum Regem in villa quæ Cariſiacus dicitur, ſuggerens ei, vt ſe & Romanam Eccleſiam ab infeſtationibus Longobardorum defenderet. Pipinus igitur Rex, propter erepta Romanæ Eccleſiæ per Regem Longobardorum dominia, Italiam manu valida ingreditur. Reſiſtentibus Longobardis, & clauſtra Italiæ tenentibus, ad ipſas montium anguſtias, quas cluſas vocant, acerrimè pugnatum eſt: cedentibusque Longobardis, omnes copiæ Francorum viam quamuis difficilem non magno labore ſuperarunt. Haiſtolphus verò Longobardorum Rex manus conſerere non auſus, in Papia ciuitate à Rege Pipino obſeſſus eſt, qui antè obſidionem non ſoluit, quàm firmitatis cauſſa, pro reſtituendis quæ Romanæ Eccleſiæ ablata fuerant, quadraginta obſides recepiſſet. Datis verò obſidibus, promiſſisque iureiurando firmatis, Stephanum Papam Romam remiſit. Verum Haiſtolpho ea quæ Romanæ Eccleſiæ erant non reddente, iterum Pipinus cum exercitu Italiam intrauit, & Haiſtolphum Papiæ obſedit, eaque obſidione ad ſatisfaciendum promiſſis compulit, reddita mque Rauennam, omnemque exarchatum eius, atque Pentapolim, ad S. Petrum tradidit. Porrò Haiſtolphus dolosè meditans quæ impleta fuerant commutare, in venatione

VI. *Pro Rom. Eccleſia.*

de equo casu prolapsus, intra paucos dies viuendi finem fecit.

III. *contra Aquitanos pro Ecclesiis.*

Cùm vero Waifarius Dux Aquitaniæ res Ecclesiarum in sua potestate retineret; Rex Pipinus eas bello repetiturus, contractis vndique copiis, Aquitaniam ingreditur. Waifarius spondet se Ecclesiis iura sua redditurum, obsides qui imperarentur daturum. Quibus acceptis, Rex à bello abstinuit. Cumque Waifarius, quanquam obsides dedisset, sacramentaque iurasset, bellum tamen resumeret; Pipinus Rex omnibus copiis Ducem persequi statuit: itaque non destitit, quin eum in suam potestatem redigeret, & reluctantem vita spoliaret.

IIII. *contra Saxones.*

Idem Pipinus Rex, commisso semel atque iterum cum Saxonibus prælio, plurimam eorum multitudinem cecîdit, coëgitq. vt omnem se eius voluntatem facturos promitterent, equos etiam trecentos pro munere, honoris caussa, quotannis ad generalem conuentum sese daturos sponderent.

Contra Baioarios duo feliciter bella gessit, primum quidem contra Odilonem Ducem, alterum verò contra Grifonem fratrem eius, qui Ducatum in suam redegerat potestatem. Tertium quoque contra Tassilonis Ducis defectionem susceperus, bello Aquitanico impeditus, & morte præuentus est.

De

De multis præclaris victoriis CAROLI *Magni Imperatoris.*

CAP. XIII.

CAROLI Magni & sancti Imperatoris multa encomia, ab Eginharto & aliis fusè descripta, contraxi in Natalibus Sanctorum Belgij. Quare inpræsentiarum suffecit hoc de eo Stephani Abbatis elogium: Glorioſissimus, inquit, Imperator Carolus magnus virtutes paternas ceteris magnificentiùs auxit, & regio nomini, quod pater eius promeruit, Romani nomen Imperij & dignitatem feliciter adiecit. Ipse est enim cui in die Natalis Domini Leo Papa cum Apostolica benedictione imperij coronam imposuit; & à cuncto Romano populo ter acclamatum est: *Carolo Augusto à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum, vita & victoria.* Huius nomen & gloria, virtus & victoria, per tanta tempora adhuc quasi recens ore vniuersorum cum tanto studio & admiratione celebratur, vt, si littera sileat, sola fama quasi viuere credatur. VIII. *Brabantiæ Dux Carolus Magnus Imperator.*

Sed sacra eius bella ex scriptis Eginharti, qui Cancellarius ei fuit, breuiter annotemus.

Omnium bellorum quæ gessit Carolus, primò Aquitanicum suscepit, quod perfecto fine concluſit. Nam Hunoldum, qui post Waifarij mortem Aquitaniam occupare, bellumque pænè peractum redintegrare tenta- 1. *Aquitanicum.*

bat, Aquitania in Vasconiam cedere coëgit. Quem tamen nec ibi consistere passus, Lupo Vasconum Duci per legatos mandat, vt perfugam reddat: id nisi faciat, bello eum se exacturum. Sed Lupus, saniori consilio vsus, non Hunoldum modò reddidit, sed seipsum quoque cum tota cui præerat prouincia Caroli potestati subiecit.

II. contra Lõgobardos. Ad preces deinde Hadriani Romanæ vrbis Episcopi, bellum contra Longobardos suscepit. Nec priùs destitit quàm & Desiderium Regem, quem longa obsidione fatigauerat, in deditionem susciperet, & filium eius Adalgisum, in quem spes omnium inclinata videbatur, non solùm regno, sed Italia etiam decedere compelleret, omnia Romanis erepta restitueret, Ruodgausum Foro Iuliani ducatus præfectum, res nouas moliẽtem, opprimeret, totamque Italiam suæ ditioni subiugaret, subactæque filium Pipinum Regem imponeret.

III. contra Saxones. Susceptum verò contra Saxones bellum, quod magnis vtrimque animis, maiore tamen Saxonum quàm Francorum damno per continuos triginta tres annos gerebatur, ea conditione proposita atque ab eis suscepta constat esse finitum, vt abiecto dæmonum cultu, & relictis patriis ceremoniis, Christianæ fidei atque religionis sacramenta perciperent, & Francis adunati, vnus cum eis populus efficeretur.

Interea

Interea verò cùm assiduo contra Saxones bello certaretur, dispositis per congrua confiniorum loca præsidiis, Hispaniam quam maximo poterat belli apparatu aggreditur: saltuque Pyreneo superato, omnibus quæ adierat oppidis atque castellis in deditionem acceptis, saluo atque incolumi exercitu reuertitur. Præterquam quòd in ipso Pyreneorum montium iugo Vasconum perfidiam in reditu parumper eum contigit experiri. In quo prelio Rutlandus, Britannici littoris præfectus, cum aliis compluribus interfectus est.

IV. *Hispanicũ bellum.*

Domuit & Brittones qui ad Occidentem in extrema Galliarum parte residentes, dicto parere recusabant, missa in eos expeditione qua & obsides dare, & quæ imperarentur facturos sese polliceri coacti sunt.

V. *Contra Brittones.*

Inde cum exercitu Italiam ingressus Beneuentanis, ni sese dederent, extrema comminatus est. Itaque Aragisus eorum Dux Carolo filios obsides dedit, seque imperata facturum pollicitus est. Ita Beneuentanos contra Romanam Ecclesiam initia maximè seditionis mouẽtes, summa celeritate Italiam ingressus, solo aduentu in ordinem redegit.

VI. *Contra Beneuentanos.*

Baioaricum deinde bellum, & derepente exortum & celeri quoque fine completum est. Excitauerat id superbia simul & socordia Tassilonis Ducis, hortatu vxoris, quæ filia Desiderij Regis erat, & patris exsilium mariti viribus vlcisci posse putabat.

VII. *Contra Bauaros.*

VIII. Cõtra Sclauos. His motibus compositis, Sclauis, qui nostra consuetudine Wilsi dicuntur, illatum est bellum, quod Abotritos, qui cum Francis olim fœderati erant, assidua incursione lacessêret, nec iussionibus coërceri poterant. Quos ille vna tantũ, & quam per se gesserat, expeditione ita cõtudit ac domuit, vt vlterius imperata facere minimè renuendum iudicarent.

IX. Contra Hunnos. Maximum omnium quæ ab illo gesta sunt bellorum, præter Saxonicum, huic deinde bello successit, quod cõtra Auares siue Hunnos susceptum est. Quod ille & animosiùs quàm cetera, & longè maiori apparatu administrauit. Vnam per se in Pannoniam (nam hanc prouinciam ea tum gens incolebat) expeditionem suscipiens, reliquas filio suo Pipino, ac Prouinciarum præfectis & Comitibus etiam atque legatis commisit. Quod cùm ab eis strenuissimè gestum fuisset, octauo demum anno completum est. Quot prælia in eo gesta, quantum sanguinis effusum sit, testatur vacua omni habitatore Pannonia, & locus in quo Regia Cagani erat, ita desertus, vt ne vestigium quidem humanæ habitationis in eo appareat. Tota in hoc bello Hunnorum nobilitas periit, tota gloria decidit, omnis pecunia, & congesti à multo tempore thesauri direpti sunt. Neque vllum bellum contra Francos exortum humana potest recordari memoria, quo illi magis ditati & opibus aucti sunt: quippe cùm vsque ad

id

id temporis pænè pauperes viderentur. Tantum auri & argenti in regia compertum, tot pretiosa spolia in præliis sublata, vt meritò credi possit, hoc Francos Hunnis iustè eripuisse, quod Hunni priùs aliis gentibus iniustè eripuerant.

Boëmanicum bellum & Liuonicum, quæ posteà exorta sunt, diu durare non potuerũt: quorum vtrumque ductu Caroli iunioris celeri fine conclusum est. x. & xi. Cõtra Boëmos & Liuones.

Vltimum contra Nordmannos, qui Dani vocantur, primò piraticam exercentes, deinde maiori classe Galliæ atque Germaniæ littora vastantes, bellum susceptum est. Quorum Rex Godefridus, cùm Abotritos in suam potestatem redegisset, à proprio satellite interfectus, & suæ vitæ, & belli à se inchoati finem accelerauit. xii. Contra Nordmãnos.

Quia verò Nordmanni Gallicum littus atque Germanicũ perpetua infestatione vastabant, per omnes portus & ostia fluminum stationes & excubias disposuit. Fecit idem quoque in littore prouinciæ Narbonensis & Septimaniæ: toto etiam Italiæ littore Romam vsque contra Mauros nuper piraticam exercere aggressos. Atque per hoc nullo graui damno, vel à Mauris Italia, vel Gallia atque Germania à Nordmannis, diebus regni eius affecta est, præterquam quòd Centumcellæ, ciuitas Hetruriæ, proditione à Mauris intercepta atque vastata fuerit, & in Frisia xiii. Cõtra eosdem & Mauros.

quæ-

quædam insulæ Germanico littori contiguæ à Nordmannis deprædatæ sint.

CIↃ. Pro Pontifice. Denique Romani Leonem multis iniuriis affectum, erutis videlicet oculis, linguaque amputata, fidem Regis implorare compulerunt. Idcirco Romam veniens, ad restituendum, qui turbatissimus erat, Ecclesiæ statum, tota ibi hieme permansit. Quo tempore Augusti & Imperatoris nomen accepit.

Epist. 126. Illud adiiciendum est ex epistolis Æneæ Siluij, quòd Carolus magnus, qui primus post Græcos apud Romanos Imperium susceptit, & fæces Hunnorum, Longobardos, ab infestatione Romani præsulis exterruit, milites omnes qui tanti laboris comites fuerant, in hunc modum feratur honore & libertate donasse: Ite, inquit, milites mei, vos heroës vocabimini, socij Regum & iudices criminum. Viuite posthac laboris expertes, consulite Regibus & publico nomini, turpia corripite, fauete feminis, iuuate pupillos, consilio circumdate Principes: ab his victum, vestitum, stipendiumque petite. Si quis negauerit, inglorius infamisque esto: si quis iniuriam vobis intulerit, reum se maiestatis agnoscat. Vos autem caueritis, ne tantum decus, tantumque priuilegium, iusto bellorum labore partũ, aut ebrietatis, aut scurrilitatis, aut alio quouis vitio maculetis. Ne quod vobis largimur ad gloriam, redundet ad pœnam, quam de vobis sumendam, si forsitan excesseritis, nobis

nobis & succeſſoribus noſtris Romanorum Regibus, perpetuò reſeruamus.

De ſacra militia Pipini & filij eius Bernardi Regum Italiæ.

CAP. XIV.

ANNO IↃCC. LXXX. Carolus cùm videret ſe aſſiduis Saxoniæ & Hiſpaniæ bellis implicitum, Pipinum filium natu maiorem, regni ſocium in Italia conſtituit. Is itaque claſſe in Corſicam inſulam miſſa, Sarracenos qui ex Hiſpaniis eam inſulam occuparant, inopinato ſuo aduentu perculſos, inde ſe proripere compulit. Vnus Audomarus comes Genuenſis imprudenter congreſſus in prælio cecidit. Nec multo pòſt deuinctis Venetis Mediolani moritur, vir, ſi diutius vita ſuppeditaſſet, virtutis magnitudine patriam auitamque gloriam facile æquaturus.

Pipinus filius Caroli magni Ducis Brabantiæ.

Sigonius l. 4. de regno Italiæ.

Poſt eius mortem pater conuentu Aquis habito, contra Sarracenos ex Africa & Hiſpania conuenientes, Bernardum Pipini filium, egregiæ virtutis adoleſcentẽ, cum exercitu in Italiam properare iuſſit, addito Vallone patruele alterius Bernardi filio expeditionis ſocio. Interea Sarraceni, accepto tanti apparatus nuntio territi, relicta Italia, alij in Corſicam, alij in Sardiniam profugerunt. Ex quibus qui Sardiniam petiuerunt, propè omnes occiſi ſunt.

De

De sacris bellis LVDOVICI PII *Imperatoris.*

CAP. XV.

IX. *Brabātiæ Dux Ludovicus Pius Imperator.*

LVDOVICVS, vt scribit Stephanus Abbas, post patris obitum Imperialia sceptra vt nullus digniùs suscipiens, præter cetera quæ bello fortiter gessit, maxima suę pietatis monumenta exhibuit. Ad faciendas namque iustitias, & oppressiones Ecclesiarum & populorum releuandas, legatos idoneos in omnes regni sui prouincias mittens, quæque corrigenda inuenire potuit, corrigere atque emendare sapienter curauit. Sed & (quod magis in Imperatoria dignitate mireris) de cunctis quæ publicè perperam gessit, Theodosij Augusti exemplo publicam egit pœnitentiam.

Tametsi verò pius iste Imperator pacis & legationum pacis fuerit amantissimus, gessit tamen bella quędam contra populos ac principes ab obedientia deficientes. Fuerunt ea, vt ex annalibus rerum ab eo gestarum constat, contra Sorabos, Vascones, Danos, Bernhardum Italiæ Regem, Britones, Lundewitium Pannoniæ inferioris Ducem, Sclaomir Regem Abotritorum, & Abulaz Regem Sarracenorum.

Eodem imperante Gallias Nordmanni grauiter infestarunt. Vastatur Dorestadum, & Andouerpum oppidum, Witlani emporium situm iuxta ostium Mosæ incendunt, à Frisonibus

nibus tributum accipiunt, Walachriam insulam depopulantur, & tributariam faciunt. Quid tunc Ludouicus egerit, non legi. Fortassis, Deo ita disponente, Nordmanni eum alibi occupatum anteuerterunt. Nam & Concilium Meldense Nordmannos vocat dignos meritis nostris Apostolos. *In præfatione tom. 3. Concil.*

De sacro bello LOTHARII *Imperatoris, postea monachi Prumiensis.*

CAP. XVI.

QVID de Lothario dixerim, ait Stephanus, cuius potentiæ fuerit, vel quale humilitatis exemplum posteris reliquerit? Ipse maior natu, maior virtute & imperio, diuidens regnum cum duobus fratribus Carolo & Ludouico, regnum, quod hactenus ex eius nomine nuncupatur, sortitus est, nec non & omnia Italiæ regna cum ipsa Romana vrbe Augustus Imperator obtinuit. Qui etiam paternæ religionis hæres exsistens post plurima tam sapienter quàm fortiter gesta regnum filiis suis diuisit; relictoque sæculo, ac sanctæ conuersationis habitu suscepto, in hac monastica professione cursum vitæ feliciter consummauit. *X. Brabantiæ Dux Lotharius Imperator. In vita S. Modoaldi.*

Quod ad sacra eius bella attinet, vnicum illud fuisse videtur quod cum fratribus suis contra patrem suum cum Iuditha peccantem insurrexerit. Neque enim rebellio dici potest, vbi legittima summi Pontificis interuenit

uenit auctoritas. Scribit enim Sigebertus; Anno IↃCCC. XXXII. Gregorius Papa in Gallias veniens contra Imperatorem cum filiis agebat, Imperator vxorem suam Iudith quasi causam malorum abdicauit. Anno IↃCCC. XXXIII. Imperator à suis desertus, & in potestatem filiorum redactus, episcoporum iudicio arma deposuit, & ad agendam pœnitentiam inclusus est. Anno sequenti relaxatur, arma, imperium & vxorem recipit, ac filium Lotharium in Italiam redire coëgit. Cui anno IↃCCC. XXXIX. fide publica ad se venienti conciliatur, eique dignitatem imperij & regni tribuit coronam.

De sacris victoriis LVDOVICI *Germanici Regis, fratris Lotharij Imperatoris.*

CAP. XVII.

Fuit frater x. Ducu Brabantiæ.

AT vero frater eius Ludouicus Rex, dictus Germanicus, multum sacris victoriis inclaruit. Meminit enim Brabantiæ nostræ historicus Sigebertus Gemblacensis eum anno IↃCCC. XLIII. in Saxonia validissimam libertorum conspiratione dominos suos opprimere volentium fortiter compescuisse, auctoribus factionis capitali sententia damnatis. Anno IↃCCC. XLV. Abroditos à se deficere molientes, bello perdomuit, occisoq. eorum Rege, terram & populum sibi diuinitus subiugatum per Duces rexit. Anno sequenti quatuordecim Duces Boëmanorum cum suis bapti-

baptizari fecit. Anno IↃCCC. LIX. plurima contra Sclauos prælia commisit: & capto eorum Principe, cui nomen erat Rastrix, in violatæ fidei pœnam oculos ei erui iussit.

Anno IↃCCC. LXV. Regi Bulgarorum ad Christianam fidem conuerso cum gente sua, subsidia misit. Anno IↃCCC. LXXI. ab exercitu Ludouici Germanici vario euentu varia contra Sclauos gesta sunt bella. Anno IↃCCC. LXXIV. Nordmannos tributum exigentes, ab exercitu suo grauiter cæsos, deuicit. Anno IↃCCC. LXXVII. Obiit Ludouicus in Germania regnans, qui tres reliquit filios hæredes: Ludouicum iuniorem; Carolum, qui non multo post imperauit; & Carolomannum, patrem Arnulphi Imperatoris.

Cur LOTHARIVS *Rex Lotharingiæ in sacra militia contra Beneuentanos non profecerit.*

CAP. XVIII.

ANNO octingentesimo quinquagesimo quinto Lotharius, ait Regino, conuocatis primoribus regni, imperium filiis diuisit. Ludouico itaque Italiam dedit, eumque Imperatorem appellari fecit: Lothario autem filio regnum, quod ex suo nomine vocatur, cõcessit: Carolo deinde, qui iunior natu erat, prouinciæ regnum largitus est. Itaque valedicens suis, mundum reliquit, atque in Prumia comam deposuit, & in religionis professione diem clausit extremum.

XI. *Brabãtiæ Dux Lotharium Rex.*

Hic Rex Lotharius, cùm frater eius Ludouicus viriliter occurreret Sarracenis Beneuentanam regionem incursantibus, ad eius auxilium properauit, & multa bella cum eo
Anno 867. strenuè gessit. Sed, addit Sigebertus, exercitu propter intemperiem aëris morbis & araneārum morsibus nimis grauato, magno suorum dispendio rediit. Putatur autem hæc aliaque mala iusto Dei iudicio pertulisse, quòd Thiet-bergam vxorem incestus crimine obiecto repudiauit, & Valdradam concubinam, quam duxerat, dimittere noluit, tametsi Apostolicę Sedis censura atque interdicto vrgeretur.

De militia Beneuentana contra Sarracenos LVDOVICI *Imperatoris.*

CAP. XVIIII.

Frater XI. Brabantiæ Ducis.

AT verò, teste Sigeberto, Ludouicus Imperator anno IↃCCC. LXVII. Sarracenis Beneuentanum agrum populantibus viriliter occurrit. Et anno IↃCCC. LXXIII. Adalgisus Dux Beneuentanorum, à Græcis seductus, contra Ludouicum Imperatorem rebellat, multasq. Italiæ vrbes suo exemplo desciscere facit. Cui Imperator viriliter repugnans, Beneuentum & Capuam expugnauit. Sed dolis Adalgisi persuasus vt exercitum dimitteret, ita ab eo est circumuentus, vt euadendi non esset locus, nisi, turpi fœdere icto, compulsus iurasset Adalgiso, se numquam in vita sua fines Beneuenti intraturum. Ob hoc Adalgi-

Adalgisus, à Senatu Romano reus maiestatis & hostis publicus iudicatus, bello contra se decreto in Corsicam fugit.

De CAROLI CALVI *Regis Francorum & Lotharingiæ atque Imperatoris sacra contra Nordmannos militia, quódque contra eosdem instituerit duos Comitatus, Hollandiæ & Flandriæ.*

CAP. XX.

XII. *Brabantiæ Dux Carolus Calvus Imperator.*

DVOBVS fratribus Lothario & Ludouico successit patruus eorum Carolus Caluus Rex Franciæ, illi in regno Lotharingiæ, huic verò in Imperio. Dum tamen Carolus solus Lotharingiam vsurpare nititur, per moderationem & industriam Ludouici fratris sui eò deductus est, vt æqualiter inter se regnum fratruelis diuiderent. *Sigebertus anno 871.*

Hic in Francia regnauit annis XXXIV. vt notat Sigebertus. Cum Nordmannis Aquitaniam vastantibus bellum habuit annis decem, sed non valde prosperè. Vexarunt iidem Nordmanni Flandriam, & alia multa loca: cumq. bella ei contra eorum barbariem parum bene succederent, aliunde auxilia oportunè quæsiuit.

Illud itaque memorabile est, quod à Ioanne Becano, clerico & historico Traiectensi, ante multa sæcula litteris proditum est, Carolum Caluum Hollandiam omnino desolatam tradidisse nobili viro Theodorico, ad in-

stantiam Hachononis Comitis, vt is cum sua posteritate eandem ditionem feudali iure primus Comes possideret, & atroces Danos à finibus Regis Romanorum summa virtute depelleret. Qui Princeps secundo nonas Octobres circa tẽpora anni ıɔcccc. in Christo requieuit, postquam limites suos contra Danos imperterritè fortiterque tutatus esset.

Eiusdem Imperatoris ætate Flandria, quæ paucis tunc viris atque ædificiis ornata erat, & à feris magis quàm hominibus incolebatur, cuique à Rege custos præficiebatur, qui Francorum lingua Forestarius dicebatur, Comitatus dignitatem hac occasione accepit. Erat Balduinus Forestarius, qui Iudith Regis filiam, dum ex Anglia reuertitur, sibi rapere iuuenili quadam temeritate ausus est. Cuius rei gratia Caroli rogatu coëuntes Episcopi, Balduinum excommunicant. At cùm facti eum non pœniteret, de consilio procerum Carolus filiam Balduino in matrimonium copulari permittit, & ex custode Flandriæ Comitem constituit. Plerumque siquidem id euenit, ait Gaguinus, vt quæ peccata atque iniurias facilè vlcisci non possumus, eas alicuius dignitatis ratione assumta ad gloriam perducamus.

Denique Carolus Caluus cõtra Nordmannos conduxit operam Widechindi Saxonis, cuius origo existimatur pertinere ad illum Widechindum, quo cum Carolus Magnus bellum

bellum gessit. Eum itaque in Gallia Lugdunensi Andibus siue Andegauensibus prefecit. Hoc Widechindo procreati censentur Reges Francici, qui annos amplius quingentos ad nostra vsque tempora regnum Gallicum obtinuerunt. Sed nec bellum Andegauense feliciter ei cessit. Nordmanni, inquit Sigebertus, vrbem Andegauis quasi in ea habituri cum suis omnibus occupant. Ad quam oppugnandã Carolus adscito Salomone Britonum Rege profectus, multis eam diebus obsedit. Sed cùm Nordmanni iam ad desperationẽ adducti essent; Rex inuito exercitu, pecunia ab eis accepta, egressum eis annuit, eisq. hoc pacto peiora faciendi locum dedit. *Ad annum 875.*

LVDOVICVM BALBVM *Imp. secundo regni & imperij sui anno obiisse, cùm contra Sarracenos sacram militiam meditaretur.*

CAP. XXI.

PATRI Carolo successit filius Ludouicus, vir simplex ac mitis, iustitiæ ac religionis amator; cognomẽto Balbus, ait Regino, quòd impeditioris & tardioris esset eloquij. XIII. *Brabantiæ Dux Ludouicus Balbus Imperator.*

Carolo itaque mortuo extemplo Carolomannus Italiæ regnum iniuit. At Ioannes Pontifex, iniuriis quorundam grauatus, in Galliam venit: vbi colloquio constituto, Balbus duris se eius atque Ecclesiæ, quę commemorabat, temporibus non defuturum osten-

dit, si ille se Augustali corona, quam patri suo tradiderat, exornaret. Cui cùm se Pontifex gratificaturum summo studio respondisset, ipsum VII. Idus Septemb. maximo totius Galliæ concursu Imperatorem inunxit, solenni iuramento adactum, se Ecclesiam, dum viueret ab hostium & maximè infidelium iniuriis defensurum. Rebus itaque sic constitutis, multis vltro citroque beneficiis præstitis, abierunt.

Ioannes Romam reuersus, mox Imperatoris opem implorat contra Sarracenos, qui littora Romanorum, Fundis & Tarracinia occupatis, tenebant. Ad quod iter dum se pararet Imperator, adornata iam expeditione cùm vix biennium imperasset, morbo periit, anno IↃCCC. LXXX. Cui defuncto Adalheidis peperit Carolum cognomento Simplicem, & posthumum, Franciæ Regem.

De LVDOVICI *&* CAROLOMANNI, *tutorum Caroli Simplicis, sacra militia contra Nordmannos.*

CAP. XXII.

Primi tutores XIIII. Ducis Brabantiæ.

CVM Carolus primùm quidem nondum natus, deinde verò ætatis defectu tutoribus egeret; primi ei obtigerunt Ludouicus & Carolomannus, Ludouici Balbi ex concubina filij. De quibus Paullus Aemilius ita breuiter scribit: Ludouicus Carolomannusque, Balbi

Balbi ex pellice filij, regium nomen inuadunt, præclaraque initiò facinora aduersus Nordmannos piratas edidere, & Bossonem à Pontifice Lugdunensium Regiis insignibus ornatum, ac Regem non prouinciæ modò sed & Burgundiæ declaratum, eiusque filium Ludouicum, Prouinciæ finibus continere se cogunt. Deinde redeuntes maioribus viribus Nordmannos cùm armis arcere non possent, ingentem vim auri illis dederunt, duodecim annorum inducias spondentibus. Nec res diu lætæ fuêre. Carolomannus in equo ludibundus dum refugientẽ domum puellam insequitur, impetu equi intra humile ostium illatus, corporis compagem soluit: Ludouicus, aprum venabulo premens, intorto aliunde telo transfigitur.

De sacris bellis CAROLI CRASSI, *tutoris Caroli Simplicis, quæ gessit contra Sarracenos & Nordmannos.*

CAP. XXIII.

CAROLVS Crassus, Ludouici Germanici filius, in Italia contra Sarracenos & Sclauos virtute religioneque præstitit. Italia defensa eum Augustum salutatum, Ioannes Pontifex, non inuitus, tandem coronauit (quod nescio an vlli alteri Pontifici contigerit) intra quatuor annos trium Imperatorum coronatione nobilis.

Secũdus tutor XIV. Ducis Brabãtiæ: Æmilius post alios.

Pacata verò Italia ob Carolomanni obi-

tum in Franciam profectus, aduersus alios religionis hostes, sed non eadem felicitate res gessit. Qua de re superiorum sæculorum scripta nonnulla excutere est operæpretium.

Anno ıɔccc. lxxxv. ait Sigebertus, Carolomanno Francorum Rege mortuo, Nordmanni Franciam repetunt, dicentes se cum Rege Francorum tantùm, non cum Francis pacem iniisse. Itaque Franci necessitate compulsi, Carolum Imperatorem in auxilium aduocantes, Franciam ei subiiciũt. Qui contra Nordmannos apud Louanium castra metatos semel iterumque exercitum misit, sed nihil dignum fecit. Regino Abbas, persecutionis consors, paullo pleniùs hac de re scribit: Ad eorum malitiam compescendam Imperator semel & iterum exercitum misit, sed nihil dignum aduersus tantam violentorum rapacitatem actum est. Addit Ioannes Becanus in Historia Traiectensi, peccatis Christianorum præualentibus minimè eum præualere potuisse. Et ne vernaculos seu domesticos tantùm citemus historicos, quid ab Helmoldo Lubecensi presbytero scriptum sit, subiiciamus. Constat, inquit, isto tempore Nordmannos per Ligerim Turones succendisse, per Sequanam Parrhisios obsedisse, Carolum Regem timore compulsum terram eis dedisse ad habitandum, quæ à Nordmannis Nordmanniæ nomen accepit. Deinde Lotharingia vastata & subacta est Frisia. Noster autem

Cap. 29.

Helmol. c. 7.

autem Ludouicus Rex Germaniæ Nordmannos fœderibus sine præliis hoc modo retinuit, vt, cùm Franciam totam vastauerint, regnis eius vel minimè nocuerint. Post cuius mortem effera barbaries laxis regnabat habenis. Nam Boëmi, Surabi, Susi, & ceteri Sclaui quos ipse tributis subiecerat, tunc seruitutis iugum excusserunt. Tunc etiam Saxonia vastata est à Nordmannis siue Danis, Bruno Dux occisus cum duodecim Comitibus, Theodoricus & Macquardus Episcopi obtruncati. Tunc Frisia depopulata est, Traiectum ciuitas excisa. Tunc piratæ Coloniam & Treuirim incenderunt, Aquisgrani palatium stabulum equis suis fecerunt, Moguntia propter metum Barbarorum instaurari cœpit. Carolus adolescens filius Ludouici, ipso tempore Roma rediẽs cum grandi exercitu Nordmannos iuxta Mosam fluuium apprehendit: quos obsidione coarctans quinto decimo demum die ad deditionem compulit. Captos ergo tyrannos Danorum non ea, qua decuit, hostes Dei seueritate vltus est: sed ad diuturnam deiectionem & grauem Ecclesiæ ruinam parcens impiis, accepto ab eis iureiurando, & fœderis conditione ampliſſimè donatos abs se abire permisit. At illi Regis adolescentis inertiam ridentes, vbi noxia libertate potiti sunt, rursum in vnum conglobati tantas strages dederunt, vt crudelitatis modum excesserunt. Quid multa? Vr-

bes cum ciuibus, Episcopi cum toto grege simul obruti, Ecclesiæ illustres cum fidelium caterua simul incensæ sunt. Quam ob rem Carolus accusatus in Curia, & ob stultitiam de regno depositus, Arnulphum Germani sui filium accepit successorem.

Lib. 6. ca. 9. Et mirum dictu, ait Otto Episcopus Frisingensis, Imperatorem, qui post Carolum magnum inter omnes Reges Francorū maximæ fuit potestatis, in breui ad tantam tenuitatem veniſſe, vt panis quoque egens, ab Arnulpho iam Rege facto stipendia miserabiliter exigeret, ac ab ipso paucos fiscos in Alemania gratanter susciperet. Dicere hic *Iob. 30.* poterat cum Iob: Eleuasti me; & quasi super ventum ponens elisisti me validè. Et cum *Psal. 101.* Psalmista, Eleuans allisisti me.

De sacro contra Nordmannos bello quod gessit ODO *Rex, tutor Caroli Simplicis.*

CAP. XXIV.

ANNO IↃCCC. XC. Carolo Crasso succes-sit Arnulphus. Is initio regni sui implicitus bello contra Sclauos, Morauos, priusquam hos repressisset, nec Italiam adire nec Franciam potuit. Quare Odone deprecante consensit, vt is in Francia regnum administraret nomine regio, vsque ad annos pubertatis Caroli Simplicis: quæ res causſam præbuit iis conspirationibus, quibus postea prætextu iuris hæreditarij Carolus Simplex à Ruperto

perto fratre Odonis oppugnatus est, eò vsque donec Ruperti posteritas regnum Carolinæ stirpi ademtum in se transtulit. De hoc Odone filio Roberti Comitis Andegauensium à Nordmānis interfecti, scribit post alios Paullus Æmilius: Arnulphus Augustus salutatus, Franciæ quoque Regem se dictabat, resque pace & bello gerebat, cùm maxima procerum pars, Balduino Flandriæ Comite, ac Fulcone Remensi Archiepiscopo reclamante, Odonem tutorem Caroli Simplicis regnare iubent. Eum Waltherus Senonum Archiepiscopus inunxit. Is Rex aduersus Nordmannos præclarè bellauit, quos Lutetiam rursus tentantes Comes Parrhisiorum Robertus, Odonis frater, idem magister equitum, à mœnibus repulit. Inde in Senones eos velut tempestas detulit. Agri vastati, oppida defensa. Ad Axonam eos assecutus Odo, funestam eis prædam fecit. Misera erat Frācia, prædæque ac omnium iniuriæ audaciæque oportuna. Frāci Odonem, biennio postquam eum Regem salutarant, in Aquitania omnino regnare iubent, cetera Francia abstinere. Fulconem cogunt Carolum Simplicem inungere duodecimū ætatis annum agentem. Id æmulatione rerum administrandarum factum crediderim.

De maxima victoria quæ Louanij habita est contra Nordmannos, ab Arnulpho Imperatore Caroli Simplicis tutore.

CAP. XXV.

ANNO IↃCCC. XCI. aut sequenti (variant enim hîc Reginonis codices MSS.) Nordmanni regnum Lotharienſe licentiùs depopulantur, & apud Leodium, Episcopalem regni eiusdem vrbem, V I. Kalend. Iulij Christianos victos ingenti clade afficiebant. In eo prælio occubuerunt Sunzo Episcopus Moguntiæ, Arnulphus Comes, & innumera multitudo nobilium virorum. Quorum tristissimam stragem, hostiumque victoriam, vbi intellexit Imperator Arnulphus, pacem iniit cum Boëmiæ Rege, vt contra barbaros & fœdifragos Nordmannos seſe obijceret. Descendit itaque ex Bauaria cum omnibus Imperij Germaniæ & Franciæ viribus, transmissoque Rheno, ad Mosam castra statuit. Nordmanni verò, cùm acies cernerent appropinquare, in agro Louanienſi super flumen Tiliam (quod nunc molliori pronuntiatione Diliam dicimus) ligno & terræ congerie more solito se communierunt, & superiori victoria elati, cum insultatione cachinnis & exprobrationibus agmina lacessebant. Vnde Arnulphus felle commotus, exercitum descendere iussit, & Deo vires cælitus administrante eos vsq; ad internecionem deleuit.

Regino

Regino & Sigebertus, vterque noſtræ Lotharingiæ hiſtoricus, tantam Nordmannorum ad Tiliam & caſtrum *Louen* ſtragem fuiſſe commemorat, vt ex innumerabili multitudine vix vnus ſuperfuerit qui ad claſſem aduerſum nuncium ferret.

Pulchrè de hac victoria Helmoldus preſbiter Lubecenſis ante annos quadringentos exclamauit: Bellum cælitus adminiſtratum eſt: ſiquidem centum milibus paganorum proſtratis in bello, vix vnus de Chriſtianis cecidiſſe repertus eſt. Atque ita exſtincta eſt perſecutio Nordmannorum, Deo vindicante ſanguinem ſeruorum ſuorum qui iam per annos ſeptuaginta effuſus erat. *Hiſtor. Sclauor. cap. 7.*

Meminit præterea wolfangus Lazius in opere de gentiũ migrationibus, Arnulphum ea victoria potitum eſſe Kalendis Septemb. ipſumque ſedecim ſigna, quæ hoſtibus ademerat, in Bauariam tranſmiſiſſe. *lib. 3.*

Nec tantùm archiua Louanienſis vrbis feſtiuitatem & celeberrimam ſupplicationem, quæ annua eſt prima Dominica die menſis Septembris, ad perpetuam huius victoriæ memoriam referunt: ſed Auentinus etiam Bauariæ hiſtoricus, idem ex Faſtis Bauarię teſtatur. Scribit enim inter alia, Nordmanni cæſi & in flumen acti ſunt vſque ad internecionem, vt non ſupereſſet qui ad claſſem nuncium cædis perferret. Duo Reges Godefridus & Sigefridus, cum exercitu amplius *lib. 4. ad annum 891.*

nona-

nonaginta millium cæsi. Alueus cadaueribus oppletus, sicco pede transibatur. Aqua fluuij cruore infecta est. Ex nostris nemo desideratus. Donum Dei id fuit. Eam ob rem eodem in loco Kalendis Septembris Arnulphus cum exercitu supplicatum iuit. Isque dies in fastos Baioariæ relatus est.

Hic Imperator Arnulphus, postquam diuinitus Nordmannos Louanij deleuisset, & per eam victoriam orbi Christiano beneficium maximum præstitisset, incidit in duo grauissima peccata. Hic est Arnulphus, ait Otto Episcopus, qui ecclesias & monasteria Baioariæ crudeliter destruxit, ac possessiones eorum militibus distribuit. Alterum scelus fuit, quòd barbaram Hungarorum gentem ruptis Italiæ clusis emiserit; quæ nec ad meridianam plagam, nec ad occidentalē exeundi antea habuerat facultatem. Quę gens, scribit Sigebertus, eo viuente aliquantulum temperauit rabiei suæ; modò eo mortuo per totam Galliam, Germaniam, Italiamque vt fera tempestas diffunditur. *Lib. 6. ca. 8.*

Videtur autem Deus hæc scelera in viuente adhuc ipso punire & expiare voluisse. Moritur enim anno IX^c. II. afflictus, vt ferunt, à minutis vermibus quos pediculos vocant, adeò in eius corpore scaturientibus, vt à nullo medicorum minui possent.

De

De Sacra militia Regis LVDOVICI, *tutoris Lotharingiæ.*

CAP. XXVI.

ARNVLPHO Imperatore defuncto, nõdum potuit Carolus Simplex, etsi Rex natus, Lotharingiam administrare: sed Arnulpho Imperatori filius successit Ludouicus Rex Germaniæ in tutela aut potiùs in regno. Nam & ipse iuuenis sub tutoribus erat, Ottone Duce Saxoniæ & * Hetthone Archiepiscopo Moguntino. * al. Hætone.

Imperio ergo Germanię multis modis turbato, hisque Imperatore iuuene implicito, Hungari ex Thracia per Pánonias progressi, limites Bauariæ vastare cœperunt, quibus Ludouicus occurrit quantis potuit copiis, & continuò trium dierum prælio cum eis congressus, tandemque victus & fugatus perdidit præcipuam ac florentissimam partem nobilitatis Germanicæ. Hungari victores progressi longè lateque direptionibus ac cædibus omnia miscuerunt, donec pacem ab illis Ludouicus multo auro redemit, quæ res ei caussa mortis fuit, quæ eum abstulit anno Imperij duodecimo, in ipso ætatis flore.

Addit Sigebertus, Año ıɔcccc. xii. Ludouicus Rex Germaniæ moritur, qui propter tyrannorum in Italiis insolentiam, & multam malorum ingruentiam, non meruit benedictionem Imperialem. Cui succedens Conra-

Conradus regnauit annis septem, qui & ipse caruit benedictione Imperiali.

De militia CONRADI *Regis contra Hungaros.*

CAP. XXVII.

LVDOVICO itaque defuncto, non dissimilis fuit Germaniæ status sub Conrado Rege. Ei namque se opposuerunt, accersito ex Gallia & Lotharingia Carolo Posthumo, Arnulphus Bauariæ, Giselbertus Lotharingiæ, & Burchardus Sueuiæ Duces, & alij. Ne tamen hæc dissensio protinus in ciuile bellum erumperet, sola Hungarorum irruptione impeditum fuit, qui post mortem Ludouici aggressi Arnulphum Bauariæ Ducem, sed fortiter repulsi, pace cum eo facta, in Italiam sese conuerterunt, vbi Berengarius Rex, sæuitiam eorum veritus & multitudinem, ne progrederentur prohibuit, non vi & armis, sed muneribus, magna pecunia pacem mercatus. Regressi itaq. ab Italia Hungari, & denuo Germaniam adorti, primùm Saxoniam, Thuringiam, & Franciam, inde transmisso Rheno Lotharingiam & Alsatiam, Basilea euersa, horribili grassatione percurrerunt, & Conradum ad pacem quibuscumq. conditionibus redimendam annua tributi pensione, adegerunt.

Cur

Cur in sacra militia parum per se potuerit Carolus Simplex.

CAP. XXVIII.

PER quinque hactenus capita descripsimus sacram militiam tutorum Caroli, qui etiam pro eo nomen & dignitatem Regis inuaserant. Vnde Carolus Simplex, qui nondum natus ad regnum peruenerat, tota vita sua perdurante intestinas atque domesticas habuit turbationes nõ paucas, vt non mirum sit, parum eũ per se in sacra militia præstare potuisse: quamuis multa quæ à tutoribus eius gesta fuerant, huius sint viribus & impensis adscribenda. Recenset hos tutores Æmilius inter Reges Franciæ. Sed tamen in Carolum Simplicem desinens, Inter tot, inquit, rerum fluctus, qui post mortem Balbi vsque ad Simplicis obitum rerum apud Frãcos potiti sunt, nulli eorum iusti Reges apud Francos numerantur, quòd is vnus ad regnum iure institutisque Francorum vocaretur.

XIV. Brabantiæ Duæ Carol. Simplex Imper.

Inter tot dissidia Carolus anno demum IↃCCCC. XVI. regnum Lotharingiæ recepit. Cùm autem in Franciæ defensione, etsi auxilijs Lotharienſium adhibitis, non sufficeret; cum Henrico Rege Romanorum fœdere inito, Lotharingiæ regnum ei reddidit. Et tandem à Comite Heriberto captus, Peronæ moritur. Scribit Sigebertus eum sub custodia Heriberti exsulem & martyrem obiisse, anno IↃCCCC. XXVI.

Quæ in sacris bellis præstiterit Henricus Rex Romanorum & Lotharingorum.

CAP. XXVIIII.

Henr. Brabantiæ Dux Hēricus Rex.

CAROLO itaque resignāti successit Henricus Rex Romanorum ad annum IXc. XXIII. Reges, inquit Sigebertus, Henricus & Carolus apud Bonnam confœderantur, Caroluſque reddit Henrico Regi regnum Lotharingiæ, Episcopis & Comitibus vtrimque iure-iurando rem confirmantibus.

Quid autem in sacris bellis ab eo gestum sit, ex eodē scriptore dicamus, Anno IↃCCCC. XX. Henricus Rex contra Arnoldum ab Hungaris regressum, cum exercitu in Baioariam profectus, virtute eum & sapientia ad gratiam suam inflexit.

Anno IↃCCCC. XXII. Hungaris Franciam, Alsatiam, Alemaniam, Saxoniamque depopulantibus, Henricus Rex iuxta vrbem Meresburch occurrens, vouensque Deo pro adipiscenda victoria se hæresim Simoniacam de regno suo eradicaturum, inæstimabili cæde eos vsque ad internecionem pænè deleuit. Rex Henricus quoscumque fures aut latrones aut sicarios manu fortes & bellis aptos esse videbat, indulta eis venia agros & arma dabat, & legionem ex eis faciens ad debellandos barbaros emittebat, edicens omnino, vt ciuibus parcerent tantummodo. Anno IXc. XXIV. Rex Henricus pacem cum Hungaris in no-

in nouẽ annos firmat. Anno IX^{c}.XXV. †Brennaburch vrbem Sclauorum capit, & Sclauos deuictos vectigales fecit. Recensuit quoque Rex Henricus agrarios milites, statuens vt octo eorum in agris sibi & nono laborarent, nonus verò in vrbe tertiam partem frugum illorum omnium reseruaret in ædibus ad hoc exstructis, vt tẽpore belli nihil alicui eorum deesset, vrbesque rebus & viris plenæ essent. †Fortè Brãdenburch.

Anno IX^{c}. XXVIII. Ganam vrbem Dalmatiæ capit, & Dalmatis tributum imponit. Anno sequenti lanceam mirandi operis, & clauis Iesu Christi crucifixi sanctificatam, quæ dicitur primi & magni Constantini Imperatoris fuisse, Rodulpho Burgundionum & Italię Regi à Sampsone Comite donatam, Henricus Rex precibus, minis, muneribus, addita etiam parte prouinciæ Sueuorum, à Rodulpho Comite extorquet, & ad insigne & tutamen Imperij posteris relinquit.

Anno IↃCCCC. XXXI. Reges Nordmannorum & Abroditorum Christianos facit. Rebellarunt quoque contra Henricum Regem Redarij vsque ad ducenta milia hominum, regnumque eius grauiter infestantes vicinas gentes ad rebellionem animarunt, sed à ducibus eius Bernardo & Thietmaro graui bello victi, pænè omnes moriuntur, aut fugientes in mare vicinum demerguntur. Et hoc facto vicinæ gentes à rebellione deterrentur.

Anno IↃCCCC. XXXIV. Hungari tributum

à Saxonibus exigentes, ab exercitu Henrici Regis occiduntur atque capiuntur; eisque ad internecionem deletis, tributum, quod petebatur, Deo pro gratiarum actione in Ecclesijs & pauperibus exsoluitur. Anno IX^c. XXXV. Rex Henricus Danos, qui piraticam in Frisones exercebát, vincit, & vectigales facit, & Chuipiam eorũ Regem baptizari procurat.

Quia verò prędictus Princeps vix vnquam in Italia bellauit, hinc postremo loco subiicit Sigebertus: Anno IX^c. XXXVII. Henricus Rex moritur: qui tametsi in debellandis hostibus fuerit glorioſus, quia tamen pacificus erat, nullam operam dedit, vt effugatis ab Italia tyrannis, qui quasi conductitij & mercenarij alter alteri succedentes imperium dilaniabant, benedictionem Imperialem acciperet. Post quem Otto filius eius imperauit annis XXXVI.

De sacra militia GISILBERTI *Ducis Lotharingiæ.*

CAP. XXX.

1. Brabantiæ Dux ex beneficio Imp.

POST mortem Caroli Regis Henricus Rex, nolentibus ei subesse Lotharingis, perspecta industria & potentia Gisilberti, filiam suam Gerbirgam ei despondit, & eum iterum Lotharingiæ præfecit: siue, vt Witichindus scribit, eum affinitate & amicitia sibi iunctũ subdelegauit in omni Lotharij regno.

Sigeb. anno 927.

Quare

Quare dubitandum non est, quin & sub Henrico, & antea sub Carolo Simplice in sacris bellis gerendis industrius & potens regni Dux fuerit. Abbas Vrspergensis vocat eum aliquoties Ducem Belgicæ.

Fuit quoque Abbas sæcularis monasterij Epternacensis à S. Willibrordo fundati. In catalogo enim eius loci Abbatum recensetur decimus sextus ab anno IↃCCC. XCVI. per annos nouemdecim Reinerus Lotharingiæ Comes, magnus monasterij sui illustrator. Deinde eius successor Gisilbertus Dux Lotharingiæ, filius Reineri, Ottonis sororius.

Filiam quoque habuit Dominam Willitrudem, quæ Bergense S. Crucis monasterium in Eistetensi diœcesi fundauit. De quo legitur in opere De monasterijs Germaniæ.

At verò Henrico mortuo, prioris vitæ suæ gloriam maculauit Gisilbertus, cum Euerardo Comite palatij Ottoni Magno rebellans. Qui etiam sua fallacia Henricum Imperatoris fratrem, ab eius fide seiunctum, suæ factionis socium fecerũt, suggerentes, regnum ei magis competere, patre regnante nato, quàm Ottoni ante regnum nato. Sed Deo vindice dederunt tandem rebellionis suę pœnam. Anno siquidem IↃCCCC. XLIII. fideles Regi Vdo & Conradus Euerardum & Gisilbertum, deprædando regno securè intentos, iuxta Rhenum inopinatè aggressi, acerrimè debellarunt. Et Euerardo cæso,

Gisilberto autem Rheni vndis submerso, ceterorum vix quisquam effugit, qui non aut eo prælio caderet, aut viuus in hostium potestatem deueniret.

De magnitudine bellorum sacrorum quæ gessit OTTO *Imperator cognomento Magnus.*

CAP. XXXI.

Hic Brabantiæ Ducatum quinquies cõtulit.

HENRICO Aucupi successit filius Otto, cui Magni nomen peperit rerum gestarum magnitudo quas pace belloque, pacata Germania & regnis externis, confirmato imperio, & ecclesiis plurimis exstructis, feliciter confecit.

Initia gubernationis difficillima habuit, bellis ciuilibus plena. Quo etiam tempore Boleslaus Dux, trucidato fratre Wenceslao quòd ad Christianam religionem transiisset, arma in Imperatorem expediuit. Vicini quoque Hungari, noui Imperatoris vires atque fortunam periclitaturi, infestis armis in Franconiam irruerunt, ea vastata Saxoniam aggressuri. His bellis tam difficilibus & variis Imperator intentus, Bauaricos primùm motus composuit, & in deditionem receptis Brandeburgẽsibus in Boleslaum Bohemum duxit. Cuius belli initia cùm prosperè succederent, Hungaros etiam non difficulter reiecit. Sed mutata paulo pòst fortuna, tantos ex illata Imperatori clade Boleslaus spiritus concepit, vt bellum sæpè renouatum in quin-

in quintumdecimum vsque annum produxerit, quo tandem diuturnitate fractus in Imperatoris fidem est receptus.

Itaque tam continuis bellis, Ottonis potentiam attritam esse Hungari existimantes, viresque Germaniæ exhaustas, contractis ingentibus, quantis vmquam ante id tempus, copiis, per Bauariam in Germanos irruerunt. Otto quàm maxima celeritate vsus, ex Bauaris, Sueuis, Saxonibus, Francis, & Bohemis coacto exercitu, ad Lycum amnem cum Hungaris congressus, paucis admodum captis, omnes eorum copias cecidit. Tres eorum Regulos Henricus Bauarus suspẽdio necauit. Pugna eodem die commissa est, quo ante annos XLVIII, deletus ab ijs fuerat Ludouici tertij exercitus, trium dierum commisso prælio; quarto nimirum Idus Augusti.

Liberata hoc terrore & periculo Germania, Imperator in vicinos Danos & Henetos mouet. Dani, legatis Imperatoris & primo Marchione Slesvvici obtruncatis, Coloniam Saxonum, quam eò Henricus Auceps deduxerat, funditus deleuerant. Iis itaque ingenti prælio ad Slesuicum deuictis, Regem eorum Haroldum & fidem Christianam accipere, & iugo Imperij sese subiicere coëgit. Eo tempore Dania operâ Adalhagi Episcopi Hamburgensis conuersa atque confirmata, & in tres distributa Episcopatus, in Christianę religionis confessione constãter perseuerauit.

Obtinuit & victoriam contra Henetos, quibus leges & religionem mutauit. Condidit etiam Episcopatus, constitutis reditibus annuis quibus ministri ecclesiarum alerentur, Aldeburgensem, Hauelburgensem & Brandeburgensem, quos subiecit metropolitæ Hamburgensi. Sorabis constituit Magdeburgensem, Mersburgensem, Cicensem & Misnensem.

Sed ad Italiam veniamus. Sopitis ciuilibus bellis in Germania & Gallia, rogatus expeditionem parauit, ad Italiam à tyrannide Berengarij tertij liberandam, prẽmissis filio Ludolpho & Conrado Sapiente, genero: moxque secutus, sanctam Adalheidem è carcere liberatam vxorem duxit. Berengarium verò cum Alberto filio captum in Germaniam transtulit, relicto Papiæ Conrado genero. Sed hos paullo pòst captiuitate solutos, in Italiam remisit, & in Longobardia regnare iussit. Cumque Otto domi bella gereret contra Hungaros, Danos, & Henetos, Ludolphus in Italia Berengarium crudeliter & sine discrimine sæuientem, cædibus atque exsiliis patriam vastantem, compescuit. Vbi re feliciter gesta, mortuus est anno noningẽtesimo quinquagesimo septimo. A cuius morte cùm Berẽgarius, resumpto animo, sæuitiã auxisset; vrgentibus & exsulibus Italis, & Põtifice Romano Ioanne XII. Otto ei bellum indixit; ac primo vere superatis Alpibus,

bus, Ticinum vi, cæteras vrbes deditione cepit. Berengarium fugientem insecutus in monte Leonis cepit, & abductum in Germaniam ad perpetuos carceres Bambergæ condemnauit, in quibus vitam quoque cum coniuge finiit. Ita Italiam à tyrannide liberauit, quæ ante Ottonem per annos LX. multiplicem seruitiã experta, Dominos vario bellorum & fortunæ euentu crebrò mutauerat.

Obiit optimus Princeps anno nongẽtesimo septuagesimo quarto, sepultus Magdeburgi.

De sacra militia contra Hungaros & Sclauos HENRICI *Ducis primùm Lotharingiæ, inde etiam Bauariæ ex beneficio Ottonis Imp.* CAP. XXXII.

OTTO Imperator exemplo patris sui Ducatus Lotharingiæ quibusdam in beneficium contulit, quorum primus videtur fuisse frater eius Henricus. Scribit enim continuator Reginonis: Anno IX^c. XL. Henrico fratri, Regis Lotharienſis Ducatus committitur, qui mox eodem anno à Lotharienſibus expulsus est. *II. Brabantiæ Dux ex beneficio Imperatoris.*

Hic primis annis fratri suo rebellauit, sed Otto, mortuo Bertaldo Duce, dato Ducatu Baioariæ, eũ repressit, ac tum in sacra militia officium Deo ac Reip. Christianæ præstitit. Testis enim est Sigebertus, eum Aquileiam in Italia cepisse, Berengario tyrannizante, Hungaros bis superasse, Ticinum transis-

se, & cum multis manubijs rediisse. Item anno IↃCCCC. LV. à Baioarijs contra Sclauos prosperè pugnatum esse.

De OTTONE Præside Lotharingorum.

CAP. XXXIII.

III. Brabãtiæ Dux ex beneficio Imperatoris.

OMISSO Henrico, qui primo anno expulsus est, quidã Gisilberto subiungunt Ottonem. Inter quos est Sigebertus, scribens ad annum Domini IXᶜ. XLIII. Gisilberti Ducatus. Et ad annũ sequentem, Otto Dux Lotharienſium obiit. Sed multo clariùs Abbas Vrspergensis, Ludouicus, inquit, Rex Gisilbertum exstinctum comperiens, multam in eius casu miserationem habuit: profectusque in Belgicam, vxorem eius Gerbirgam, Ottonis sororem, coniugem duxit. Præfecit autem Rex Regioni Lotharingorum Ottonem filium Richuini, vt regnum procuraret, & nepotem suum Gisilberti filium bonæ spei puerulũ nomine Henricum nutriret.

Hunc Ottonem puto eum esse, qui superiùs vocatur Vdo fidelis Regis, & cum Conrado, absente Imperatore, ad Andernacum Euerardum & Gisilbertum deuicit. Cui occasione tantæ victoriæ successisse videtur.

Quòd in sacra militia contra Hungaros Conradus Dux pœnitens perierit.

CAP. XXXIV.

IV. Brabantiæ Dux ex beneficio Imperatoris.

OTTONI Comiti successit Collega victoriæ Conradus. De quo Witichindus Saxo

Saxo scribit: Defuncto Oddone Lotharioru*m* Præside, ac Regis nepote Henrico, Ducatus regionis conceditur Conrado. Cui & vnicam filiam suam Rex desponsauit, qui erat adolescens acer, fortis, domi militiæque optimus, commilitonibus suis charus. *lib. 2.*

Hic postea grauissimè peccauit. Ottoni enim Imperatori socero suo rebellauit, & in eandem rebellionem pertraxit Lidulphum filium Imperatoris. Postea verò Lidulpho ad gratiam patris sui reducto, Conradus Dux à Deo & Imperatore ad Hungaros transfugiens, eos in Lotharingiam vsque perduxit. Sed inde sincerè pœnitens in gratiam receptus est, & in exstinguendo Hungaros vitam piè impendit. Qua de re hæc subiungenda videbántur. Gens Hungarorum, ait Sigebertus, ruptis clusis emissa per Arnulphum Imperatorem, totam Italiam, totamque Germaniam & Galliam, vt fera tempestas, vario vastationis genere depopulata est per annos circiter quinquaginta. Quo tempore, inquit Folquinus Abbas, Conradus Lotharingiæ Dux, siue Cuno Dei & Imperatoris transfuga, eos, dissidéte regno, in Lotharingiam deduxit. Sed vbi Traiectum ventum est, quod Mosa alluit, incertum qua factione dissidium ab eis fecit. Hungari nihilominus Hasbaniam flamma & rapina aggressi, Carbonariam petiuerunt, & intra claustra Laubrensis monasterij, quod succenderũt, duos obtruncarunt

In vita sancti Guiberti cap. 13.

cap. 1. mirac S. Vrsmari.

carunt, Theodulphum & Theumarum. Cùm autem munitiorem locum cõscenderent, in quo clerici & monachi se ad resistendum parauerant, quia pro anima res erat; desperatis rebus inter Litanias duæ columbæ ex adytis templi volarunt, & trina obsidione acies obsidentium vallarunt, & mox subsecuta est pluuia grandis, quæ gentilitiam illis sagittãdi artem, chordarum distensione, frustrata est. Pauor etiam tantus in eos irruit, vt ea qua venerant via fugam maturarint. Lobiensis hic triumphus memorabilis fuit, atque per Belgium lætissimus. Siquidem vastationes Italiæ, Germaniæ, Galliæ, à Sigeberto commemoratæ, meritò Belgas terrore concutiebant. Tunc enim, vt scribit Helmoldus, incensis ecclesiis cruces à barbaris truncatæ, & ludibrio habitæ, sacerdotes ante altaria trucidati, clerus vulgo mixtus aut interfectus, aut in captiuitatem ductus.

Histor. Sclauor. cap. 8.

Cap. 13.

Teste eodem Sigeberto, Hungaros quosdam euntes & redeuntes per vicum Gemmelacensem, vir Dei Guibertus, paratus bibere calicem passionis, aggressus, paulatim mitigata rabie à regno diaboli abstraxit; eosque abiurantes sacramenta diabolicæ militiæ, transscripsit in nouum nomen militiæ Christianæ.

Dederunt autem Hungari tandem pœnas suæ perfidiæ, ita ab Imperatore contriti, vt nullus aut rarus euaderet. Anno IX^{c}. LV. ait Scafnabur-

Scafnaburgenſis, Otto Rex Hungaros, cum magno periculo ſui ſuorumque, magna cæde proſtrauit in Lechfelt, in natali S. Laurentij. In quo bello, addit Sigebertus, cecidit etiam Cuno pœnitẽs, nõ iam Dux, ſed miles Imperatoris. qui Deũ orauerat, vt pro pœna perfidiæ ſuæ in ipſo bello ab Hũgaris perimeretur.

De ſacra militia S. Brunonis Archiepiſcopi Coloniẽſis, & Archiducis Lotharingiæ.

CAP. XXXV.

SIGEBERTVS ad annum IX^c. LVII. Bruno Archiepiſcopus Ducatum Lotharienſium poſt Conradum adeptus, cœnobium ſancti Pantaleonis Coloniæ conſtruxit. *v. Brabãtiæ Dux ex beneficio Imperatorũ.*

Item ad annum IↃCCCC. LIX. Bruno Archiepiſcopus, & Archidux Lotharingiæ, ſecundas partes in regno fratris ſui potenter & induſtriè adminiſtrans, Raginerium Montẽſem Comitem, qui Longicollius cognominabatur, apud Valentinas cepit, & irreuocabili exſilio damnauit, pro eo quòd regnum bellis inquietabat, vel (quod verius fuiſſe dicitur) pro eo quòd mortuo Giſilberto Duce, conſanguineo ſuo, ea quæ Giſilbertus vxori ſuæ Gerbirgæ in dotem contulerat, violenter ei auferre præſumebat. Breuiter quoque Witichindus Saxo libro II. rerum Saxonicarum: Iunior fratrum Dominus Brun, magnus erat ingenio, magnus ſcientia, & omni virtute ac induſtria. Quem cùm Rex præfeciſſet genti indo- *Mõtenſem Comitem nunc Hannonienſem vocamus.*

indomitæ Lothariorum, regionem à latronibus purgauit, & in tantum disciplina instruxit, vt summa ratio summaque pax illis in partibus locum tenerent. Erat tunc, vt Gallicè legitur in Hannoniæ Chronicis, miseranda facies monasteriorum, Ecclesiarum, & cleri. Quæ enim ex Nordmannorum vastatione supererant, ea in Hannonia nobiles inuaserant. Verùm Bruno nobilitatem & clerum, omnibus sedatis, in decẽtissimum ordinem redegit, & collapsa loca tam sacra quàm profana restaurauit. Præstitit etiam beneficium ecclesiæ Traiecti, in qua sub Baldrico Antistite studuerat. Brunonem, ait Heda Prępositus, fratrem suum Otto Imperator, instinctu Baldrici Episcopi Traiectensis, direxit cum non spernenda manu ad restituendam vrbem & liberandum circumvicinas prouincias antiquatis hostibus, quorum fortuna iam vndique nutabat. Qui etiam victoriosè bellum hoc exsequitur, cõstituens ipsum Baldricum in sedem quietam. Meminit quoque Luitprandus Italiæ scriptor, quòd Brunonem Pater sanctus Baldricus, quoniam Nordmanni Traiectensem destruxerant ecclesiam, ob eiusdem recuperationem voluerit militare. Accedat postremò elogium Conradi Abbatis Vrspergensis: Cum magna religione vsus est officio Sacerdotis, & exigente necessitate iussu Regis functus est virtute magnanimi Ducis. Nemo autem super hac re eum culpabilem

lib. 14.

lib. 4. c. 7.

pabilem dicat, cùm Samuelẽ sanctum & alios plures sacerdotes pariter legamus & iudices.

GODEFRIDVM Ducem Lotharingiæ in sacro exercitu obijsse.

CAP. XXXVI.

CLARVIT sub Archiduce Brunone Dux Godefridus. Sed qui ante eum anno IX^c. LXIV. obiit ex pestilentia & mortalitate in eo exercitu quo Otto Romam obsidens, Romanos coëgit, abdicato Benedicto Apostolicæ sedis inuasore, Leonem VIII. in Apostolicam sedem restituere.

Hũc VI. cõputo Brabantiæ Ducem ex beneficio Imperatoris.

Qualis autem fuerit hic Dux, descriptum est à Rothgero: Pius, inquit, pastor & Archiepiscopus Bruno, domino & fratri suo auxiliares copias non leuem armaturam de Lothariorum populo misit. Iis præfecit Godefridum Ducem, quem ipse nutriuit, virum sapientem & religiosum, amantissimum pacis, obseruantissimum æquitatis, Imperatori per id tempus ad votum seruientem, omnibus placentem. Hic eodem tempore febri correptus, in magnam spem futuræ quietis exspirauit. De cuius innocentia quodam modo securus, quasi testis & conscius vitæ eius pius Pater Bruno, cùm de pecunia dispensanda ageretur pro remedio animæ illius, non valde illum talibus indigere asseruit.

Vitæ Brunonis cap. 40.

Interregnum Ducatus.

QVIS porrò Duci Godefrido aut Archiduci Brunoni in administratione Ducatus

catus Lotharingiæ vsque ad annum LXXVII. proximè sequentem succesſerit, non video alicubi notatum. Et fortaſſis Magnus Otto, eiuſq; filius Otto secũdus, per hos annos Ducatum ſibi reſeruarunt. Siquidem Otto totam Lotharingiam ſibi ſubiugauerat: quod Vrſpergenſis Abbas notauit ad annũ IↃCCCC. XLVI. & Sigebertus ad annum ſequentem.

De ſacra militia OTTONIS *ſecũdi Imperatoris.* CAP. XXXVII.

Hic vnũ creauit Brabãtiæ Ducem.

OTTO ſecundus, Magni filius, patri in Imperio ſucceſſit, qui Theophaniam, ſororem Ioãnis Græciæ Imperatoris, vxorẽ duxit.

Hic prima militiæ tyrocinia patre viuo magna cum laude fecit in bello contra Græcos & Sarracenos in Italia vlteriore, quos tota pænè Calabria & Apulia eiecit: Sarracenis quidem, qui recèns Conſentiam nec opinato aduentu oppreſſam receperant, & cum Græcis ſocietatem inierant, partim cæſis, partim diſſipatis.

Et quanquam præclarè ſeſe habuerint initia, tamen quę ſub Imperio ſecuta ſunt, principiis non reſponderunt.

Nam poſtea Baſilius & Conſtantinus Imperatores, fratres Theophaniæ, cùm ſuperatis proſperè in Syria, atque ex Creta etiam inſula exturbatis Sarracenis, Ottonem domeſticis bellis diſtineri comperiſſent; conductis pecunia ad belli ſocietatem Sarracenis Siculis,

lis, Apuliam omnem & Calabriam recuperarunt, quas Nicephorus nuper amiserat. Has Otto repeturus vt suas prouincias, coëgit copias vniuersas Germanicas & Italicas. Sed infeliciſſimè ac atrociſſimè pugnauit, mirabiliter tamen ex manibus hostium euasit.

Itaque Otto cùm exercitum & Imperium pænè amisisset, diuinitus suis redditus, disiectas dilapsasque reliquias, quantum potuit, collegit, bellum instauraturus: in quo eum nonnulli scribunt Sarracenos auxiliares ad internecionem deleuisse, indeque adeptum esse cognomentum, vt vocaretur Pallida mors Sarracenorum.

De CAROLO *Duce Lotharingiæ sub Ottone secundo.*

CAP. XXXIIX.

OTTONE Imperatore, Lotharius Francorum Rex Lotharingiam armis repetijt. Sed Otto II. instructiſſimo exercitu populabundus ad ipsam vsque Parrhisiorum vrbem penetrauit, & Lotharingiam receptam, Germaniæ copulatam, sed tractuum quorundam auulsione diminutam, quos Episcopis Colonienſi & Leodienſi attribuit, Carolo fratri Lotharij Regis donauit, ea tamen lege vt beneficio Imperatoris tanquam prouinciam Germaniæ possideret. Ducatus Lotharingiæ, ait Sigebertus, datur anno IↃCCCC. LXXVII. Carolo fratri Lotharij Regis Francorum,

VII. *Brabantiæ Dux beneficiarius.*

corum, multis insuper conducto beneficijs, vt & ipse ab insolentiis desistat, & fratris sui Lotharij motibus obsistat.

Huius Principis præclarum elogium clerus Bruxellensis iam olim in vita sanctæ Gudilæ conscripsit. Eo enim attestante, Carolus in regno Lotharij Ducatum adeptus, statum Imperij dolens perturbari multipliciter, ad melioranda multa negotia animum adiecit solerter. Vnde inter cætera cùm res ablatas Ecclesiæ Mortzelensi, inuasorum partibus niteretur subtrahere, & S. Gudilæ famulantibus restituere; ex Hermenfredi & complicum rapacibus manibus corpus S. Gudilæ obtinuit, & Bruxellam tulit. Postea villæ, quæ Molebeca dicitur, partem sanctæ Gudilæ tradidit, cum sex familijs, & compluribus vestimentis altaris.

Hic est ille Carolus, cui regnum Francorum ex paterna & auita successione debitum, vt Sigebertus verè loquitur, Hugo Capet, Hugonis Parrhisiensis Ducis filius, vsurpando rapuit. Vnde quidam versiculos conscripsit,

Hic in Bruxellam Gudilam Dux transtulit almam,
Francorum regna sibi debita perdidit iste.

Obijt Aureliæ in captiuitate Hugonis anno IX^{c}. XCI. Lauduni cum vxore interceptus. Ex vxore autem sua, quæ Trecarum Comitis erat filia, genuit Ottonem Ducem, Gerbirgam nuptam Lamberto Comiti Louanensi,

uanienſi, & Ermengardem nuptam Alberto Comiti Namurcenſi.

De rebus præclarè in Italia pro Rep. Chriſtiana ab Ottone III. *geſtis.*

CAP. XXXIX.

ANNO IX^c. XCIII. Creſcens Nomentanus, Romæ ingẽti fauore populi conſulatum adeptus, Imperij titulum ſibi adſcribere geſtiebat. Qua de cauſſa Ioannem Pontificem, ſiue Reip. ſiue Ottonis charitate cooperari nolentem, ex vrbe depulit, ac Romam & propinqua aliquot Romæ oppida ſub ditionem ſuam adduxit. Sub idem etiam tempus Landulphus Archiepiſcopus Mediolano eijcitur. Ita Otto, ſimul Pontificis & Archiepiſcopi voluntate ac petitione commotus, expeditionem in Italiam ſuſcepit. Quo aduentante aduerſarij ſibi conſuluerunt; & tempeſtiuè vna quidem eorum pars cum Pontifice, altera verò cum Archiepiſcopo compoſuerunt.

Hic Imperator vnicũ creauit Brabantiæ Ducem. Ex lib. 7. Sigonij.

Nondum in Germaniam Otto redierat, cùm Creſcens in Gregorium V. inſurgens, Ioannem Pſeudopontificem intruderet. Gregorius in Germaniam iniuriam deploratum opemque affectis ſuis rebus petitum conceſſit. Otto igitur anno ſubſequenti cum firmiſſimo omni copiarum robore in Italiam rediit. Vrbem obſedit. Romani inopia oppreſſi, Creſcente in arcem confugiente, iram

in Ioannem verterunt, eumque captum, erutis oculis, auribus cum naso præcisis asinoque præposterè impositum, per frequentia Vrbis loca circumduxerunt, vt Petrus Damiani scripsit, homo his temporibus proximus. Inde pace ab Ottone impetrata, vltro portas ei patefecerunt. Cùm deinde arcis obsidio in longum traheretur, Crescens, accepto securitatis & veniæ sacramento, egressus est. Sed mox contra fidem captus ac maiestatis damnatus, cum duodecim aliis fœdissimo suspendij supplicio est affectus. Quæ res maximam clarissimo Ottonis nomini perfidiæ notam inussit. Ob quam expiandam S. Romualdus graues ei functiones iniunxit, & vt Cassini monachus fieret sæpe hortatus est.

Tertiò ex Germania in Italiam reuersus est propter Sarracenos, qui in Campaniam magnis viribus irruperant, & Capuam eius prouinciæ caput occuparant. Ad quos contento cursu profectus, non minore felicitate Capuam recepit, quàm virtute hostem è finibus eiecit.

Inde in citeriorem Italiam reuersus, noluit ex consilio Romualdi monachum induere, nisi vbi sedatis contra Gerbertum Pontificem Romanorum seditionibus Rauennam rediret. Cui Romualdus, Si Romam iueris, Rauennam non videbis. Iuit, & ex noua coniuratione, egregia paucorum industria, ægrè euasit.

euasit. Ceterùm Crescentis vxor, quæ ipsum spe regnandi in suum amorem pellexerat, discessum eius dolens, venenatum chirotecarum simulatæ amicitiæ munus ad eum misit. Quo ille sensim infectus, apud Paternum iuxta vaticiniũ sancti viri exstinguitur.

De OTTONE *Duce Lotharienſi, ex dono Ottonis III.*

CAP. XL.

ANNO IↃCCCC. XCI. Carolus Dux moritur. Otto filius eius succedit ei in Ducatu Lothariensium, qui anno ∞. V. sine liberis decessit, sepultus Niuellæ ad S. Gertrudem; aut, vt aliqui volunt, Coloniæ ad S. Mariam. VII. *Brabantiæ Duæ ex beneficio Imper.*

De sacra militia S. HENRICI *Imperatoris.*

CAP. XLI.

OTTONE III. veneno exstincto, post duos annos interregni, successit S. Henricus, Saxo, Bauariæ Dux, cognomento Claudus, Hungariæ Apostolus. *S. Henricus duos cõstituit Brabantiæ Duces.*

Hic Henetos, qui fide Christiana (cui sese sub Ottone primo addixerant) repudiata, ad pristinam idololatriam redierant, & templa deleuerant, trucidatis Episcopis, denuo edomuit, & Episcopatus Mersburgensem, Misnensem, & Magdeburgensem, barbarorum armis deuastatos, instaurauit, nouisque donationibus auxit. Præcipuè verò Mersburgensem

genſem locupletauit, cui attribuit maximam partem Comitatus Mersburgenſis poſt mortem Eſici Comitis, quod factum ſcribunt anno ∞ .VII. Quo etiam anno condidit Episcopatum Bambergenſem; quem ita muniuit, vt præciuos omnes Germaniæ Principes huius Episcopi vaſallos eſſe voluerit.

Rebus autem per Boëmiam, Poloniam, Vngariam, & Germaniam conſtitutis, ſuſcepit profectionem cum exercitu in Italiam: vbi Ardoino Marchione, quem Episcopi & nobiles aliquot Italiæ Imperatorem declarant, ſuperato, victor coronam ferream Mediolani, auream Romæ ſuſcepit.

Poſtea tripartito exercitu Græcos & Saracenos aggreſſus eſt, qui Apuliam & Calabriam adhuc tenebant magna ex parte, etſi aliquam partem eis recèns ſub Ottone III. Guilielmus Nordmannus ademerat. Troiam vrbem Apuliæ, quam Græci munierant, expugnatam euertit. Et Græcis pariter ac Saracenis tota vlteriore Italia depulſis, in Apulia & Calabria Nordmannos collocauit, vt tuerentur eam Italiæ oram contra vtroſque.

Obijt Princeps religione maximus anno Chriſti ∞ .XXIV.

Duces Lotharingiæ Godefridum & Gothelonem à S. Henrico conſtitutos, à ſacra militia impeditos fuiſſe. CAP. XLII.

VIII. & IX *Brabantiæ Duces dono S. Henrici.*

MORTVO Ottone ſine liberis, Duces Lotharingiæ annis centum magna portione

portione Ducatus sui caruerunt, toto videlicet eo amplissimo districtu quem Lambertus Louaniensis vocauit Comitatum Louaniensem & Brabantensem: atque inuito S. Henrico, multorum potentissimorum Principum sanguine, affinitate, atque fœderibus subnixus, sibi retinuit iure hæreditario ex parte vxoris suæ Gerbirgæ.

Et quidem Henricus Imperator Godefridum Ducem cum exercitu in fines Bratuspantum mittit, ad obsidendum castrum Louanium; sed re infecta reuertitur. Verba sunt Sigeberti ad annum ∞.xii. Et ne ciuilibus bellis Princeps pius regna sua magis inquietaret, voluit Duces Lotharingiæ deinceps auulso comitatu carere.

Propter hanc tamen diuisionem & consecuta fœdera, non potuerunt Duces Lotharingiæ, qui sub Henrico fuerunt, cum eo ad sacra bella proficisci; cùm domi & in vicinis locis ciuilibus bellis distinerentur.

Inter hos primus est Comes Godefridus filius Godefridi Ardennensis; cui S. Henricus anno ć.io. v. Comitatum Lotharingiæ dedit. Qui in Frisiam missus, atque eo in bello captus; impetrata Frisonibus delictorum venia, à captiuitate solutus est, & paulo pòst vita fungitur. *Ex Sigeb.*

Frater verò Gothelo in Ducatu substituitur anno ∞.xix. Qui Frederico Duce mortuo, vt potentiùs in Lotharingia principaretur;

retur, obtinuit etiam ab Imperatore Conrado Mosellanorum Ducatum.

Otto Frisingensis libro v i. Chronicorum cap.xxxi.vocat eum Gozilonem Ducem Belgarum, vbi meminit victorię eius quam ad Barrum habuit contra Odonem Comitem.

De sacra militia CONRADI *II. pro Episcopo Cremonensi.*

CAP. XLIII.

Hic Imperator Ducem Gothelonem, à S. Henrico creatum, moriens superstitem reliquit. Ex lib 8. Sigonij.

SANCTO Henrico in Imperio successit Conradus II. per annos XV. Qui in Italia contra Cremonensium coniurationem non ciuile modò, sed sacrum quoque bellum gessit. Hi anno ∞.XXXV. Landulphum Episcopum consilijs suis aduersarium ex iracundia inuaserunt; eoque vrbe depulso, bona diripuerunt, & custodes, qui cum quibusdam Canonicis ibi erant, venales habuerunt, & fortunis omnibus spoliarunt. Vrbe verò vetere à fundamentis eruta, maiorem alteram, vt Conrado resisterent, condiderunt, ac postero anno Hubaldum Episcopum, qui mortuo Landulpho successerat, multis contumelijs affectum, possessionem inire bonorum Ecclesiæ voluerunt. Quæ mala Conradus audiens, iniquissimè tulit, & Cremonam procedens, coniuratos quoscumque seueriss-imis quæstionibus exercuit. Exstat decretum eius, quo propter iniurias Landulpho & Hubaldo Episcopis illatas, ad eorum contu-

maciam

maciam comprimendam, & tanti mali consuetudinem exstirpãdam, omnium qui coniurauerant ciuium prædia in vrbe, suburbio, agróue per quinque millia passuum in circuitu sita, ecclesiæ Cremonensi addicit; prohibens ne Dux, Marchio, Comes & Sculdasio eam possessionem prohibere, aut vlla ratione turbare possit.

Toto eius Imperij tempore Gothelo Ducatui Lotharingiæ præfuit, ex substitutione S. Henrici.

De sacra militia Imperatoris HENRICI *cognomento Nigri, quem Germani III. Itali II. vocant.*

CAP. XLIV.

HENRICVS Niger anno CIↃ XL. Conrado patri in Imperio successit. Hic graui bello restituit Petrum Vngariæ Regem, Stephani nepotem, quem inuisum suis & suspectum ob studium & affectum erga peregrinos, Christianæ religionis caussa, & quòd insolentiùs atque crudeliùs multa faceret de consilio paucorum à quibus pendebat, Ouo quidam conspirationis Dux regno pepulerat. *Hic vnum creauit Ducem Brabantiæ.*

Deinde anno ∞. XLVI. vt Sigebertus notat, vno contra duos, & duobus contra vnum de Papatu contendentibus, Rex Henricus contrà eos Romam vadit, & eis canonica, & imperiali deinde censura depositis, Suidgerus Bambergensis Episcopus, qui &

Clemens, Romanę Ecclesiæ prędidet, & ab eo Rex Henricus in Imperatorem benedicitur.

Ab hoc Clemente Imperator renunciatus, exercitum duxit in Italiam vlteriorem: vbi inter Nordmannos & veterum Longobardorum reliquias bella erant. Quibus compositis, præsidiisque dispositis, quæ vtrosque in officio continerent, & Nordmannos, si pergerent tumultuari, compescerent: exercitum in Germaniam reduxit.

Postea Leoni nono Pontifici ex Germania in Italiam reuertenti magnum exercitum addit, Duce Godefrido Lotharingo: qui augescentem Nordmannorum potentiam retunderet.

Ipse quoque postea in Italiam reuersus est; rebus turbatis opem allaturus, vbi annum integrum commoratus, rebusque compositis, exercitum contra Sclauos Lusatios instruxit; qui ad internecionē cæsus est. Quam iacturam cùm grauiter tulisset, non ita multo pòst obiit anno ∞.LVI.

De sacra contra Nordmannos militia GODEFRIDI *Ducis Lotharingiæ.*

CAP. XLV.

1. Brabantiæ Dux ex beneficio Imperatoris.

EX beneficio Henrici Nigri, Gotheloni in inferioris Lotharingiæ Ducatu successit Godefridus filius. Scribit enim Sigebertus ad annum CIↃ.XLIIII. Gothelo Dux obijt. Cuius filius Godefridus dum ei Ducatus

catus Mosellanorum denegatur, altero Ducatu repudiato, contra Imperatorem rebellat. Videtur nihilhominus Ducatum hunc vsque ad mortem seruasse. Subdit enim post multa Sigebertus, Anno CIↃ. LXX. moritur Dux Godefridus, & succedit ei filius eius, Godefridus Gibbosus.

De viri huius rebellione ita legitur apud Lambertum Scafnaburgensem, suitemporis gesta describentem. Anno CIↃ. XLIV. Gothelo Dux Lotharingorum obiit, cuius filius Godefridus, nobilissimæ indolis iuuenis, atque in re militari admodum exercitatus, quia Ducatum Patris non potuit obtinere, arma contra Remp. corripuit; Albertum Ducem, quem Rex patri eius subiugauerat, prælio victum occidit; cædes hominum & depopulationes agrorum quàm maximas fecit; loca omnia vsque ad Rhenum, præter ea quæ vel murorum præsidio hostilem impetum subterfugiebant, vel sese data pecunia redemerant, in cinerem redegit. Anno CIↃ. XLV. à Rege in deditionem acceptus in Gibekenstein missus est custodiendus, sicque regnum breui tempore quietum & pacatum mansit. Anno sequenti Dux Godefridus à custodia absolutus, dum videret nec interceſſionem Principum, nec deditionem quam sponte subierat, sibi aliquid profuisse, rei indignitate & inopiæ familiaris tædio permotus, bellum rursus de integro sumpsit. Inter alias quas

Reip.

Reip. intulit calamitates, Neomagium, Domum regiam miri & incomparabilis operis, incendit, ciuitatem Verdunensem cepit, maiorem in ea ecclesiam concremauit. Sed post modicum facti in tantum eum pœnituit, vt publicè se verberari faceret, & capillos suos, ne tonderentur, multa pecunia redimeret, sumtus ad reædificandam ecclesiam daret, & in opere cæmentario per seipsum plerumque vilis mancipij ministerio functus deseruiret. Anno CIↃ. XLVII. Rex exercitum nauigio per Rhenum duxit in Frisiam contra Godefridum, eiusque adiutorem Deodericum, ibique duas vrbes munitissimas cepit, Rinesburg & Fleerdingen. Anno CIↃ. L. Leo Papa, ad componẽdum statum Ecclesiarum, & pacem Gallijs reddendam, Roma egressus, Moguntiæ Synhodum celebrauit: vbi Dux Godefridus, interuentu Papæ & Principum, gratiam Imperatoris obtinuit.

A quo tempore cum cognato suo S. Leone IX. in Italiam abiens, semper Imperio fidelis permansit, etsi Imperatori vehementer suspectus, quòd in Italia summè diligeretur & honoraretur, ac ibidem in vxorem accepisset Beatricem viduam Bonifacij potentissimi Marchionis Italiæ: & his accederet electio fratris in summum Pontificem, qui Stephanus IX. dictus est.

Præstitit verò in Italia Ecclesiæ Dei etiam officium sacer Princeps: sic enim scribit citatus

tatus suprà Lambertus: Leo Papa Imperatori anno CIↃ. LI. Wormatiæ valefaciens, mediocriter compositis & causis Ecclesiasticis & regni negotiis, Romam reuersus est, abducens secum Godefridum Ducem, & fratrem eius Fredericum, qui Gebehardo postmodùm in Apostolica sede successit: item alios quàm plures tam clericos quàm laicos in re militari probatissimos. Quorum virtute Nordmannis, qui Apuliam occupauerant, obuiam ire parabat. Addit apud Beneuentum quoque per Godefridum deprehensos esse hæreticos & suspensos.

De sacra militia GODEFRIDI *Gibbosi, Ducis Lotharingiæ, quam gessit in Marchia Lotharingiæ & Marchia Italiæ.*

CAP. XLVI.

Hic fuit XI. *Brabantiæ Dux ex beneficio Imp.*

QVAMVIS Henricus IV. Imp. nihil præclarè pro Ecclesia gesserit, sed ob inuestituram fœdum schisma cõtra Gregorium VII. fouerit, in quo etiam Imperio exutus, & anathemate innodatus, Leodij obierit; qui tamẽ ex eius beneficio Duces fuerunt Lotharingiæ, militiam suam Ecclesiæ consecrarunt.

Inter quos primus est Godefridus Gibbosus, ciuitatis Delphensis in Hollandia conditor. De quo apud Sigebertum legitur ad annum ∞.LXX. Gerardus Dux Mosellanorũ moritur. Moritur etiam Dux Godefridus. Gerardo filius eius Deodericus, Godefrido

succedit

succedit filius eius Godefridus Gibbosus, etsi corpore exiguus, tamen animo eximius.

ad annum 1076.

Qualis in militia fuerit pulcrè explicat Lambertus Scafnaburgensis. Licet, inquit, naturæ pusillitate atque gibbo despicabilis videretur, opum tamen gloria, & fortissimorum militum copia, prudentiæ quoque maturitate, postremò totius vitæ temperantia longè ceteris Principibus supereminebat: magnum Teutonici regni robur ac munimentum Werdunis iuxta patrem sepultus.

Et infrà de eius vxore loquens, Mathildis, filia Bonifacij Marchionis & Beatricis Comitissæ, quandam viduitatis speciem eo viuente prætendebat, cùm nec ipsa maritum in Lotharingiam extra natale solum sequi vellet; & ille Ducatus, quem in Lotharingia administrabat, negotijs implicitus, vix post tertium vel quartum annum semel Marcham Italicam inuiseret.

De bellis assiduis quæ pro tuenda Ecclesiæ auctoritate administrauit MATHILDIS *Lombardiæ & Tusciæ Dux, Canusýq; Comes, vidua Godefridi Gibbosi Ducis Lotharingiæ.*

CAP. XLVII.

Mathildis vidua XI. Ducis Brabantiæ beneficiarij.

SED nec ea omittenda sunt quæ pro Ecclesia præclarè gessit Domina Mathildis, marito suo Godefrido viduata. Siquidem Carolo Sigonio teste, die vigesima quarta Iulij, anno CIↃ.C.XV. in Polirone monasterio, inter

inter Padum & Larionem, diem clausit extremum matrona potentissima, non egregia solùm pietate ac religione omnium & sui & superiorum seculorum mulierum præstantissima, sed publicis etiam operibus, arcibus, pontibus, vijs, templis, monasteriis in Lombardia exstructis, belliscque assiduis pro tuenda Ecclesiæ auctoritate administratis, singularibus laudibus in perpetuum celebranda. Quæ, glisceente inter Gregorium & Henricum discordia, Lombardiæ & Tusciæ ditionem sancto Petro donauit.

De sacris conatibus ROBERTI *cognomento Frisij, filij Balduini Comitis Flandriæ, cognati Comitum Louanienſium & Ducum Lotharingiæ, qui obijt Comes Flandriæ.*

CAP. XLVIII.

Cognatus XI. & aliorum beneficiariorum Ducum Brabantiæ.

EODEM tempore claruit Robertus Flandrensis, cognatus Ducum Lotharingiæ & Comitum Louanienſium. Cuius quinam fuerint sacri conatus, dicam verbis Lamberti Scafnaburgensis, qui in chronico Hirsfeldensi ad annum CIↃ. LXXI. sui temporis gesta describens, hæc inter alia commemorat.

In Balduini comitatu eiusque familia seruabatur quasi sancitum lege perpetua, vt vnus filiorum totius Flandriæ principatum solus hæreditaria successione obtineret: ne in pluresdiuisa prouincia, claritas illius familiæ per inopiam rei familiaris obsoleret. Igitur

tur cùm Balduinus senior duos genuisset filios, Balduinum omnium quæ habebat hæredem instituit. Ruberto vbi primùm ætas stipendiis faciendis matura visa est, naues parauit, aurum, argentum & ceteras longinquæ profectionis impensas affatim præbuit, iussitque vt ad gentes externas iret; & si vir esset, propria virtute sibi regnum diuitiasque pararet. Ille patri acquiescens, assumta secum multitudine qua regio prægrauari videbatur, nauem ascendit, & in Galliciam ire, eamque, si votis Deus successum annuisset, sibi subdere cogitauit. Cumque post paucos dies ad ignota quædam littora applicuisset, & ingressus in terram ab incolis loci prædas agere cœpisset; illi vndecumque ad propulsandam vim illico armati conueniunt. Factoque prælio, eum, cùm aliquamdiu fortiter hostium impetum sustinuisset, in fugam vertunt, fugientem vsque ad naues persequuntur, sociosque eius pænè ad internecionem prosternunt. Ipse cum paucis vix fuga elapsus, ad patrem tantæ calamitatis nuntius rediit.

Postea verò à patre propter res malè gestas contumeliosè repulsus, alia rursum via fortunam tentare aggreditur, omnia paratus etiam extrema perpeti, vt maculam veterem factis recentioribus elueret. Reparatis copijs, & numero militum instaurato, marinis iterum fluctibus se credidit: in regionem longinquam, vbi sedem vaganti Deus ostendisset,

set, iter facturus. Et ecce post paucos dies tempestate infestissima circumuentus, multis suorum naufragio amissis; ipse nudus, omniumque rerum egens, vix in littus euasit.

Inde assumto habitu plebeio, inter eos qui Hierosolymam orationis caussa pergebant, Constantinopolim ire parabat, vocatus eò crebris legationibus Nordmannorum qui sub Imperatore Constantinopolitano militabant, quique ei si illuc veniret, totius Græciæ principatum pollicebantur. Sed Imperator Constantinopolitanus, comperto hoc consilio, omnia flumina per quæ transitus in Græciam esse poterat, appositis custodibus, obseruari fecit, vt deprehensus illico traderetur. Sic conatus eius cœptumq. irritum fuit.

De sacra militia CONRADI *Ducis Lotharingiæ, postea Regis Italiæ, contra Henricum IIII. patrem suum.*

CAP. XLVIIII.

SICARIVS quidam Friso, nomine Gisel- XII. *Dux Brabãtiæ do-*
bertus, anno CIↃ. LXXVI. Ducem Go- *no Hẽrici IV.*
defridum Antwerpiæ interemit, cultello fe- *patris sui.*
riens per secreta naturæ. Eodẽ anno, Scafnaburgensi teste, Rex Henricus Pascha Traiecti celebrauit, ibique Ducatum Lotharingiæ filio suo Conrado; Marchiam verò, quæ dicitur Antvverpia, Godefrido, consobrino Gozelonis Ducis, filio Eustatij Comitis, im-

pigro & ad rem militarem acerrimo adolescenti tradidit.

Ex Sigo. l. 9. Hic Conradus qua ratione à patre suo desciuerit, Dodechinus & Helmoldus, scriptores Germani ijs temporibus proximi, prodiderunt. Henricus cùm acerbum in Adelheiden coniugem odium concepisset, in carcerem coniectam, omni contumeliarum genere afficiendam, ac propè lacerãdam susceperat. Itaque ad cetera illata probra, cùm Nicolaitarum more multis eam stuprandam prostrauisset, idem Conrado, quem Regem Germanię destinauerat, vt faceret imperauit. Addidit inde flagitio contumeliam: Conradum, scelere tanto se obstringere nolentem, ira odioque accensus, filium suum esse negauit. His de rebus Adalheidis cùm è carcere euasisset, & filius Conradus, ad Mathildem in Italiam se receperunt: vbi Conradus ex Vrbani auctoritate regnum aduersus patrem in Lombardia suscepit. Idque summa cum omnium gratia per annos deinde nouem administrauit, ac Rogerij Siciliæ Ducis filiam sibi matrimonio iunxit. Cumque præclarè in omni officio se gessisset, neque à Mathildis vnquam Pontificisque consiliis discessisset; alienissimo Ecclesiæ atque Italiæ tempore morbo consumtus, siue, vt alij tradunt, veneno exstinctus est anno CIↃ. CI.

De

De sacratißimo bello quod in terra sancta gessit GODEFRIDVS BVLLONIVS, *Dux Lotharingiæ, qui obijt Rex Ierosolymitanus.*

CAP. L.

XIII. *Brabantiæ Dux dono Henrici IV. Godefridus Bullonius, Rex Hierosolymitanus.*

GODEFRIDVS Bullonius, qui mox à morte Godefridi Gibbosi ab Hērico IV. obtinuerat Marchionatū Antuerpiensem, limitaneam Lotharingiæ portionem, tandem ab eodem Ducatum acquisiuit. Scribit enim Sigebertus ad annum CIↃ. LXXX IX. Godefrido, Godefridi Gibbosi ex sorore nepoti, tandem datur Ducatus Lotharingiæ.

Hic Princeps nihil territus rei difficultate, asperitate, & immensa itinerum mariumque longitudine, Sarracenos apud Damascum, Turcas & Persas apud Antiochiā superauit, & victor contriuit. Mesopotamiam ferro subiugauit, sanctam ciuitatem Ierusalem ac Palęstinam strenuus Christi miles Christiano vexillo ab hoste vindicauit. Sed hæc sanctissima victoria latiùs est explicanda & proponenda.

Anno CIↃ. XC V. Vrbanus II. commotus à Petro eremita, bellum statuit pro viribus Turcis inferre, & Hierosolymorum vrbem sanctam ex eorum manibus extorquere. Sed Italia & Germania Regis Henrici culpa sæuis tunc seditionum fluctibus iactabantur, & Hispani domesticum bellum contra Sarracenorum reliquias prosequebantur. Quare Pontifex Roma in Gallias, ex quibus origi-

nem duxerat, venit, & Claremonti Synhodum celebrauit menſe Nouembri. Erat ea valde celebris conuentu totius propè Occidentis tam Epiſcoporum quàm Principum. Coram quibus Pontifex orationem habuit pro ſacro bello Ieroſolymitano luculentam, & Reip. vtilem. Vnde paſſim tam nobiles, quàm ignobiles, in remiſſionem peccatorum ſuorum, & terræ ſanctæ liberationem, iter aggreſſuri, cruce ſe ſignarunt. Ex quo expeditio quoque ipſa Cruciata eſt nuncupata.

Fuit tunc inter primos Godefridus, vir vſu armorum & exercitio militari omnium iudicio ſingularis. Nam Henricus Imperator in acie exiſtens contra Rodulphum Regem, eum exercitus primicerium conſtituerat, vbi dictum Regem Rodulphum per vitale pectus Imperiali vexillo tranſuerberauit. Et cùm idem Henricus inuaderet Romam, Godefridus per partem muri à ſe effractam primus irrumpens, ex multo labore in grauem incidit infirmitatem. A qua mox eum liberatum eſſe Antonius & Nauclerus ſcribunt, emiſſo voto peregrinationis ad terram ſanctam. Votum autem iſtud, & iniqua ſacræ poteſtatis oppugnatio Principem bonum meritò ad bellum ſacrum, Vrbano id publicante, exſtimularunt. Hinc caſtrum ſuum Buillon cum longè lateque diffuſo territorio maiori gloria ſua quàm mentis mille trecentis marchis argenti puriſſimi, & tribus auri, diuendidit. A

Ant. tit. 16. Naucler. gener. 37.

quo

quo tempore Leodiensis Episcopus se Dominum, ac postea Ducem vocauit Bullonensem.

Atque vt D. Bernardi verbis, quibus ipse in exhortatione ad Ludouicum iuniorem vsus est, pleniùs hoc dicam, Tria amplissima patrimonia, suum, fratris, & matris, partim oppignorauit, partim distraxit, vt copias piorum plusquam pro virili aleret. Ita qui corruerat contra Pontificiam potestatem militans, maior excitatus est: regnumque cæleste merendo inter nos etiam in terris nactus est. Ita Bernardus.

Fuerunt autem qui eius castris se adiunxerunt viri nobiles, & perpetua memoria digni, Balduinus & Eustatius eius fratres, Balduinus de montibus Comes Hannonienſis, Hugo Comes S. Paulli, Engelramus filius eius, Garnerus Comes de Grez, Balduinus de Burgo Ducis consanguineus, Henricus de Ascha, Godefridus frater eius, Dodo de Conz, Cono de monte acuto, & alij plures.

Collegit autem optimus Princeps in Antwerpiensi suo Marchionatu primitias huius sacrę militiæ, adscribens ei duodecim primos viros in honorem XII. Apostolorum. Sed & Ecclesiam D. Michaelis multis donariis ditabat, commendans se & militiam dicto Archangelo, Principi Ecclesiæ. Eadem de caussa multa S. Petro donauit Affligemij, in nouo monasterio in finibus Comitatus Louaniẽsis.

l. 1. Hist. Porrò sacræ legiones, quas Paullus Iouius scribit vltra quadringenta milia voluntariorum militum excreuisse, post varias fortunas, & multarum vrbium occupationes, anno CIↃ. XCIX. die septima Iunij ad vrbem sanctam & Deo amabilem Ierusalem castrametatæ sunt. Cumque victus & aquæ penuria laborarent, ex communi decreto indictæ sunt litaniæ, & assumptis crucibus & Sanctorum patrocinijs, Episcopi & clerus nudis pedibus populum subsequentem vsque ad montem Oliueti præcesserunt. Vbi Petrus eremita, & Arnulphus familiaris Comitis Nordmanni, populum exhortationis sermone ad longanimitatem animarunt. Octauo autem die humiliationis, obsidionis autem XXXIX. eadem feria & hora quibus Saluator noster ibi pro nostra salute mortem crucis subiit, vrbs capta est Idibus Iulij, eo die, vt legitur in epistola Ducum belli, quo primitiua Ecclesia inde abiecta fuit, cumque festum de dispersione celebratur.

Epist. exstat in appendice Mariani.

In ea epistola Godefridus Dux non aliter se nominans, quàm, gratia Dei sancti sepulcri Aduocatum, primus legitur ponte ordinato cum fratre suo Eustathio vrbem ingressus. Quos continuò subsecuti sunt, Ludolphus & Guilhelmus vterini fratres, patria Tornacenses, post quos Flandrensium Comes, & Nordmannorum Dux.

Post occupatam verò à se Ierusalem, octauo die

die vnanimiter in Regem est electus, hunc enim Franci obseruabant, Germani suum dicebant, Itali colebant. Reiecit tamen ille cum nomine coronam quoque auream; indignum arbitratus illic aureo diademate hominem vti, vbi Rex Regum Christus spineam coronam pro redemptione humani generis tulisset. Mox autem Deo primitias regiæ suæ potestatis obtulit, fundans claustrum, & in eo Dominici sepulcri Canonicos.

Dum autem vlteriùs victor pergit verus Christi confessor centuplum accepturus, intra primum annum regni sui per validam ægritudinem viam vniuersę carnis est ingressus, XV. Kal. Augusti anno CIↃC. Fuit vir religiosus, clemens, pius, ac timens Deum, stabilis & serius in verbo, sæculi vanitates contemnens; quod in militari professione rarum est. In orationibus iugis, liberalitate insignis, affabilitate gratiosus, mansuetus, misericors, & Deo placens. Cui in regno Balduinus Comes Edessanus, frater eius, electione suffectus est.

Multi hanc sacram historiam descripserunt, sed nemo, vt mihi quidem apparet, pleniùs & syncériùs, quàm Guilhelmus Archiepiscopus Tyrius, regni Ierosolymitani Cancellarius.

De sacra militia BALDVINI *Regis Ierosolymitani, qui frater fuit Godefridi Bullonij Ducis Lotharingiæ.*

CAP. LI.

Frater Godefridi Ducis & Regis Ierosolym.

GODEFRIDO itaque in regno successit Balduinus frater, Comes Edessanus qui occuparat iam ante Ciliciam, Comagenam, & Mesopotamiam. Est autem Edessa, vnde titulum Comitis habuit, Comagenæ ciuitas, quæ Rages dicta est in historia Tobiæ: hodie Orphæ nomen obtinet.

Balduinus itaque ad regnum euectus, cessit Edessam Balduino de Burgo consobrino; & Antipatridem, Cæsaream, Ptolemaidem, Tripolim, & Berytum vi expugnatas regno adiecit, edita ingenti Sarracenorum strage. Expugnatæ etiam sunt, Apamea & Laodicea, Syriæ vrbes, & Carræ Mesopotamicæ ex Abrahę historia notæ, †Tauredo & Raimundo Tolosano Ducibus. Decessit autem Balduinus anno CIↃ. C XVIII. postquam reuersus esset ex Ægypto, capta insula Pharo.

† *al. Tancredo, qui fuit Apuliæ Princeps.*

De sacra militia BALDVINI *de Burgo, tertij Regis Ierosolymorum, consobrini priorum Regum.*

CAP. LII.

Consobrinus Godefridi Ducis Brabantiæ & Hierosolym. Regis.

TERTIVS regnum Ierosolymitanum possedit Balduinus de Burgo consobrinus priorum Regum, qui aliquot magnis prælijs, ex vna

ex vna parte Turcos, qui Damascum tenebant; ex altera Sarracenos Ægyptios depulit. Expugnauit Tyrum, & postea Raphaneas in Cassiotide. Decessit anno regni XIII.

Hoc Rege institutus est Ierosolymis ordo equestris sacræ militiæ, initiò à professione S. Ioannis nomen adeptus, qui postea equitum Rhodiorum nomine celebrior notiorque euasit: ac nunc, Rhodo amissa, Melitæ seu Malthæ insulæ angustias tuetur.

De sacra militia Comitum aliquot Flandriæ in Syria & Oriente, qui fuerunt Ducum Brabantiæ cognati.

APPENDIX.

QVVM aduersus Sultanum à Belgis Godefrido Duce in Syria bellum gereretur; multum veræ gloriæ Robertus II. Roberti Frisij filius, Flandriæ Princeps, meruit; Artasiam, Turcis ex vrbe profligatis, prælioque superatis assecutus. Deinceps cùm intolerabili rerum omnium penuriâ, Christiani, qui Antiochiam obsidebant, laborarent; vnà cum Boëmundo Tarentino latissimè in hostilem agrum progressus, tantam vini, pecoris, atque tritici copiam in castra reportauit, vt ingentibus acclamationibus exciperetur. Et ad expugnandam Ierosolymam profectus, à Septemtrione proximus Godefrido Bullonio ingressus vrbem, extremo voto satisfecit, quo loco ipsius pater religione se priùs exsoluerat.

Robertus Zolymus.

Ex Marchätio de rebus Flandriæ.

Theod. Alsatius. Deinde Theodericus Alsatius, Roberti Solymi auunculi exemplo inductus, quater cum exercitu in Palæstinam delatus, in primis Fulconi socero, bis Balduino, semel Almerico Solymorum Regibus auxilium tulit.

Philip. Alsatius. Philippus autem patris vestigia imitatus, illuc religionis ergô initio profectus, à Balduino Rege Fulconis pronepote magnopere rogatus, Areten vrbem in finibus Antiochiæ cum ceteris obsedit. Sed nullum factum est, propter discordiam & luxum Christianorum, operæpretium. Hic in obsidione Ptolemaidis grassante peste exstinctus fuit.

Balduinus Byzantius. Postea Balduinus qui Flandris Hannonibusque iura præscripsit, cùm destinatis in Syriam armis, Venetiis ageret, euenit vt illa expeditione postposita, Constantinopolis obsessæ & sociorum auxilijs Isaacio Myrtilo ereptæ Imperium, quindecim electorum consensione assequeretur. Sed à Valachis Seruijsque in Adrianopolis oppugnatione interceptus, membratimque Ceruoæ dissectus, anno Imperij Byzantini 11. vitam finiit. Ab illo rerum in Græcia potiti fuerunt Henricus frater: deinde Iolanda soror, quæ ad Robertum filium, & Balduinum ex eo nepotem, Imperium transtulit.

Robertus Bethunius. Ad vltimum Robertus Bethunius cùm pater in viuis esset, & Gregorius x. publicè huc incitaret, vnà cum Eduardo Britanniæ Rege in Syriam deuectus, & Zaphadinio Ægyptio

Ægyptio cum fratre interfectis, magnam laudem adeptus est.

De sacra militia HENRICI *Comitis Limburgensis, & Ducis Lotharingiæ.*

CAP. LIII.

GODEFRIDVS Dux Lotharienſium, & Princeps Ieroſolymitanorum, moritur. Balduinus frater eius in regno ei ſuccedit anno CIↃ. C. Deinde, anno primo Henricus Imperator, Henricum Limburgenſem ſibi aduerſantem debellat; & expugnatis eius caſtellis, eum ad deditionem coëgit. Sed Imperator ei multa ſumma gratiam ſuam redimit: etiam Ducatum Lotharingiæ donat.

XIV. *& vltimus beneficiarius Brabantiæ Dux.*

Sigebert. in Chronicis.

Hic ſacrum bellum habuit contra Henricum IV. ad quod etiam filium Imperatoris pertraxit. Sed cùm poſtea ad patrem à filio deficeret, prioris meriti gloriam omnem obſcurauit, & perdidit. Ducatum quoque ſuum amiſit. Anno enim CIↃ. C VI. Henricus de Limborch Dux, vt reus læſæ maieſtatis ab Henrico Imperatore V. cuſtodiæ traditur, & Ducatus eius, iudicio principum aulæ Imperialis, ei abiudicatur, & Godefrido Comiti de Louanio in perpetuum poſſidendus ab eodem Imperatore traditur. Anno ſequenti, Sigeberto teſte, Hēricus exdux affectans repetere Ducatum, oppidum occupat Aquiſgranenſe contra Godefridum Ducem: ſed hoc non ferens Godefridus, in oppidum Aquenſe vi irrumpit, oppidanos à facie Henrici

rici exterruit, aliquos potentes Comites & nobiles cepit. Ipse Henricus cum filiis suis vix fuga elapsus est: vxorem Godefridus capere indignum duxit. Comites & honoratiores eorum quos ceperat, ea lege vt sub se mererentur, conciliatos sibi fideles effecit.

De sacra militia Portugalensi HENRICI *filij Henrici exducis, & posterorum.*

CAP. LIV.

Filius vltimi beneficiarij Ducis Brabantiæ.

PATERNA infelicitas felicem reddidit Henricum exducis filium. Hac enim ille occasione in Hispaniam militatum abijt: vbi cùm multa pręclarè gessisset cõtra Mauros & Sarracenos; in præmium militiæ impetrauit ab Alphonso VI. Castiliæ & Legionis Rege notham ex pellice filiam Tiresiam, & Portugalliæ regnum. Cuius ab hoc Henrico principium est.

Filius eius Alphonsus Rex, belli studiis, vt pater, præclarus, eadem pugna quinque Sarracenorum Maurorumque Reges vicit; & Vlissibonam, barbara Maurorum seruitute diu pressam Christianis suoque Imperio vindicauit. Et ob quinque simul Reges vno prælio superatos, quinque scutorum insigne facti monumentum posteris reliquit.

Ro
zhi

De

De sacra militia GODEFRIDI *de Louanio magni Ducis Lotharingiæ.*

CAP. LV.

PEREMTO Tornaci in armorum ludo anno ∞.XCVI. Henrico Comite & Aduocato Brabantensi, succeſſit ei, filiabus fratris defunctiexcluſis, in Comitatu eius frater, Godefridus de Louanio dictus. Quo tempore cum Hērico filio Imper. ſub Rege Armenię captiuus detinebatur. Quos Oliuerius de Leefdaele, miles prudēs & aſtutus, cum quatuor ſocijs ſibi adiunctis ſub ſpecie mercatorum iuit quæſitum, interim matre Adelia Comitatum gubernante. Cumque Godefridus ex captiuitate liberatus redijſſet, Sophiam filiam Henrici v. Imp. duxit vxorem. Acceſſit ei poſtea ex Imperatoris dono & Imperij iudicio, hæreditaria donatione, Ducatus Lotharingiæ. A quo tempore meritò dictus eſt, *Dux magnus*: quia ab eo tempore peramplus Comitatus Louanienſis Ducatui eſt redditus. Quanquam & aliæ dari poſſint rationes, ob quas Godefridus magni Ducis cognomen obtinuerit.

1. *Brabantiæ & Lotharingiæ Dux hæreditarius.*

Meminerunt autem archiua oppidi Louanienſis, Godefridum cum barba, Comitem Louaniēſem, anno CIↃ. CVI. cum Lotharingis & Francis pro terra ſancta crucem aſſumſiſſe. Quod etiam teſtantur monumēta Præmonſtratenſis eccleſiæ, quæ Parcenſis dicitur,

tur, quia eam fundauerat in Parco suo, quem feris siluestribus alendis deputauerat.

Est etiam in archiuis eiusdem vrbis, eum anno CIↃ. CXV. expulisse è suis ditionib⁹ Tauchelinum hæreticum, qui multo tempore regnauerat apud Antwerpiam & Louanium. Hic hæreticus, vt scribit Robertus Abbas Sigeberti continuator, nimiæ subtilitatis, cùm tamen esset laicus, sed multis clericis disertis in sermone acutior, sacri ordinis ministros, & Episcopalem ac sacerdotalem gradum nihil esse dicebat: corporis & sanguinis Christi perceptionem sumentibus ad salutem prodesse negabat. In pretioso apparatu & vestibus deauratis incedens, verbis persuasibilibus, & cõuiuiorum apparatibus, suos, qui eum circiter tria millia armati sequebantur, alliciebat; & per eos in resistentes sibi cædibus sæuiebat. In tantum quoque eum reuerebantur, vt aquam, qua corpus lauisset, biberent, & pro reliquijs asportarent, cùm tamen filias in matrum præsentia, sponsasque maritis intuẽtibus corrumperet, & hoc opus spirituale esse assereret. Qui tandem post multos errores & multas cædes, dum nauigaret, à quodam presbytero percussus in cerebro, occubuit.

ad annum 1124.

vita S. Norberti cap. 34

Hæc detestãda hominis impostura etiã post mortẽ eius exstirpari Antwerpiæ nulla ratione potuit, licet duodecim clericorum cõgregatio ab Episcopo in subsidiũ sacerdotis, qui solus

solus erat in Ecclesia S. Michaelis, instituta esset. Tũ verò clerici & charitate & euidenti necessitate cogente, Patri Norberto & fratribus eius, per manum Episcopi, hãc ecclesiam cum quibusdam reditibus dederunt, confidentes quòd Deus meritis illius & fratrum mortiferæ pestis auferret sæuitiam. Et clerici in eodem oppido aliam sibi ecclesiam ædificauerunt. Audiẽtes ergo verbum fratrum, & videntes opera, quidam compuncti, viri & mulieres, corpus Dominicum, quod vel in cistis vel foraminibus per decem aut quindecim aut eo amplius annos abdiderant, reportabant.

Ecbertus Abbas S. Florini in Sconaugia scripsit sermones XIII. contra Catharos hæreticos, qui supererant ex fæcibus Tauchelini de Flandriæ partibus, vt scribit Trithemius in Chronico Hirsaugiæ. *ad annum 1163.*

De filijs Godefridi de Louanio magni Ducis.

CAP. LVI.

GODEFRIDVS de Louanio moriens duos reliquit filios, sed qui mox cum moriendo secuti sunt. Legitur enim in antiquissimo codice Parcensis ecclesiæ: Anno ∞.C.XL. obijt Godefridus Dux magnus. Anno ∞. C. XLI. obijt Henricus Comes, filius eius. Anno ∞. CXLII. obijt Godefridus Dux Iunior, frater Comitis H. *II. Lotharingiæ & Brabantiæ Dux Godefridus Iunior.*

Obijt autem Henricus Comes conuersus monasterij Affligemensis. Cui etiam bona quædam

quædam contulit, vt declarat subsequens charta: In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Notum sit omnibus, tam præsentibus quàm futuris, quòd ego Henricus filius Ducis Godefridi Ducis Lotharingiæ & Comitis Louanij ob declinandas miserandas & ærumnosas huius seculi procellas, ad monasterium Affligemense quasi portum salutis confugi; vbi Deo & sanctis Apostolis eius Petro & Paullo, sub præsentia Domini Petri Abbatis, & totius congregationis, adstantibus hominibus meis, meipsum in monachum offerens, allodium quod apud Sichne & Rode, iuxta Werde, ex patre meo me liberè contingebat, & cõmune cum fratre meo Duce Godefrido, patris mei successore, possidebã in aquis & pascuis, in campis & siluis, & in omnibus ad ius nostrum pertinentibus, pro anima patris mei, & matris meæ, & Clarisiæ sororis nostræ, & pro meipso, & pro prædicto fratre meo Duce Godefrido, & sororibus meis Aleide Regina Angliæ, & Ida Comitissa, & pro omnibus parentibus & amicis, in eleemosyna tradidi.

De sacra militia GODEFRIDI *III. contra Sarracenos.*

CAP. LVII.

III. *Lotharingiæ & Brabantiæ Dux.*

ANNO CIↃ.C. LXXXIII. vt habent antiqui codices pergameni, Dux Godefridus perrexit Ierusalem: vbi cruce signatus, multa

multa laude digna pro Christi nomine fecit. Et filius eius Henricus miles effectus est.

Antea quoque per auxiliares copias videtur iuuisse terram sanctam. Scribit enim Lazius, Philippum Alsatium Flandriæ Comitem priorem in terram sanctam expeditionem fecisse, anno CIↃ. C. LXXVIII. contra Sarracenos & Saladinum, accedentibus fidis auxilijs Hollandiæ & Louanij Comitum. *lib. 3. de gẽt. migrat.*

Anno verò CIↃ. C. XLVII. cùm Conradus Italiæ & Germaniæ Imperator, & Ludouicus Rex Franciæ, Dominico charactere suscepto, cum multis nobilibus & populis innumerabilibus bipartito exercitu in Orientem iter arriperent, Godefridus noster ob teneram ætatem adhuc inidoneus erat.

De sacra militia WALTHERI BERTHOVTS *Domini Mechlinienſis, captiui Ducis Louanienſis.* CAP. LVIII.

Hic fuit Vasallus Ducis Brabantiæ.

AB hoc Godefrido Principe adhuc in cunis vagiente in bello Grimbergẽsi superatus est Waltherus Bertholdus, primus eius nominis dominus Grimbergensis & Mechlinienſis; & Louanij in captiuitate detentus. Qui postea, cùm D. Bernardus Abbas Leodij Crucem contra infideles mandato Eugenij Pontificis prædicaret, anno CIↃ. C. XLVI. licentiam obtinuit proficiscendi ad sacrum bellum, modò fratrem suum obsidem relinqueret. Postea propter fratrem ob- *Ex chronico Mechlinien.*

fidem rediens, cùm in via obijſſe eum intellexiſſet, Ieroſolymam regreſſus eſt, & ſub Almerico Rege in obſidione Damiatæ, quã veteres Heliopolim dixerunt, cum multorũ luctu cecidit. Claruerat enim variis ſtratagematibus militaribus per annos circiter XXII.

De ſacris victorijs HENRICI *primi Ducis Lotharingiæ, qui cognominatur Bellicoſus.*

CAP. LIX.

IV. *Dux Lotharingiæ & Brabantiæ.*

TRIBVS Godefridis, patri, auo, & proauo, ſucceſſit Henricus primus, multis præclarè geſtis nobilis.

I. Cùm enim Simon & Albertus electi Epiſcopi Leodienſes ſe mutuò armis oppugnarent, Henricus coëgit vtrumque Romam ire. Vbi Pontifex Simonem fecit Cardinalem, & Albertum ad Epiſcopatũ remiſit. De quo vide Chronicon Leodiēſe capite LXVII.

II. Deinde cõſtat eum anno XIII. perrexiſſe verſus Ieruſalem cum multis alijs. Cum Metenſis vrbis Archiepiſcopo, ait Barlandus, Ieroſolymam proficiſcens, Chriſtianorum aduerſus Turcas Princeps declaratur. Huius itaque ductu Baruth ciuitas opulentiſſima vi capta eſt, Turcis inde fugatis. Meierus ad annum CIↃ. C. XCVII. Latinè Berytum vocat, vbi ait, Berytum Ioppenque vrbes recuperauerunt.

III. Addit Barlandus, Nec multo pòſt, hoc etiam iuuante, Conſtantinopolis expugnatur,

tur. Quibus ita benè gestis, magnam consecutus celebritatem nominis, redijt in Brabantiam.

Præterea cùm Innocentius III. anno CIↃ. CC. XV. Synhodum CXXX. Episcoporum Romæ in ecclesia Lateranensi celebrasset, recuperandæ Ierosolymæ gratia; Henricus Dux Brabantiæ, cum aliis compluribus, prædicante Crucem Ioanne Scholastico Xanensi, eam suscepit. Testis Trithemius in Chronico Hirsaugiæ. IV.

Eodem anno, quod eodem loco apud eundem est legere, Theodoricus Archiepiscopus Treuirensis, cooperante Henrico Duce Brabantiæ, ciues Colonienses ad pacem & subiectionem Frederici Regis iuxta mandatum Apostolicum reduxit, postquam per annum & menses quinque excommunicationi & interdicto subiacuissent. V.

Postremam victoriam contra Stadingos habuit per Principem filium, qui anno proximo patri vita functo in Ducatu successit. Qua de re sunt verba codicis Parcensis: Anno Domini CIↃ. CC. XXXIV. Henricus, maior filius H. Ducis Lotharingiæ, fecit victoriam contra hæreticos de Stedingen, qui omnes consumti sunt in ore gladij VI. Kalend. Iunij, suffragante gratia Iesu Christi. VI.

De sacra militia contra Stadingos HENRICI *II. Ducis Lotharingiæ, qui cognominatus est Magnanimus.*

CAP. LX.

v. Dux Lotharingiæ & Brabantiæ.

HENRICO patri filius successit Henricus II. qui multa gessit bella inter Rhenum & Mosam. Cùm in obsidione Colonienſis vrbis, filij Domini de Daelhem spoliassent conuehentes ad exercitum eius pisces, auditis querelis iurauit se vindicaturum antequam in Brabantiam reuerteretur. Vnde in reditu castrum prædictum occupauit, & per hoc Brabantiam fortificauit.

Cap. 2.

Sed de Stadingis hæreticis, quos ille cruce signatus exstinxit, ita scribit Thomas Cantipratensis libro II. Apum, Quarta nostri temporis Crux contra Stadingos prædicata est, quos in Teutonia Henricus Dux Brabantiæ cum suis strauit. Sed multo pleniùs

lib. 7. c. 47.

Albertus Crantius in Metropoli Hamburgensi, Erant, inquit, Stadingi populi palustres, fluuiorum ripas in Archiepiscopatu Bremensi accolentes, qui, libertate Ecclesiæ conculcata, nulli parcebant sexui vel ætati, responsa dæmonum quærebant, errones, pythonissas consulebant, & viaticum salutis æternæ horribiliùs quàm deceat exprimi, pertractabant: religiosos & clericos impiè tormentis lacerabant, & quos poterant, maximè infinitam rusticorum multitudinem, in-

in foueam suæ perfidiæ trahebant. Quæ cùm Gregorio IX. per varios Episcopos innotuissent, contra eos, tanquam infideles, Crucem iussit prædicari. Quam mox Henricus Brabantiæ Dux, & Florentius Comes Hollandiæ, multiqúe eorum subditi, amore religionis & plenariæ indulgentiæ hilariter susceperunt. Cumque diuinæ patientiæ inuasores, qui eis vt furibundi canes ordinata acie obuiam processerunt, in virtute Domini Sabaoth inuaderent, eos hastis, gladiis, ac equorum pedibus ita oppressérunt, vt breui spatio sex milia ex eis interirent, plurimi fugientes in foueis & Wisera sint submersi. Aderat & clerus eminus pro Crucis victoria supplicans. Ceciderunt autem ex Dei exercitu Henricus Comes de Oldenborch, & cum eo peregrini nouem.

Hic Henricus II. duas habuit vxores, quarum prior Maria fuit filia Philippi Regis Romanorum, auos habens Fredericum & Emanuelem Imperatores: posterior Sophia, filia Ludouici Turingiæ Landtgrauij (qui septima Christianorum in Asiam à Frederico secundo susceptа expeditione cum pluribus alijs crudeliter absumtus est) & S. Elizabeth.

Ex hac Sophia primogenitam suscepit filiam Mathildim, quæ in maritum accepit Robertum primum Comitem Atrebatensium ac sancti Paulli, qui mortuus est in sacro Syriæ bello anno CIↃ. CC. XLIX. Huius

fratres erant S. Ludouicus Rex, qui in secundo contra Sarracenos bello peste defunctus est; & Carolus Comes Andium, primus è Francorum stirpe à Clemente IV. Siciliæ & Neapolis Rex creatus, propter tyrannidem Marfredi nothi filij Frederici Imperatoris, quem in pugna occidit.

De sacra militia HENRICI *III. qui cognominatur pacificus.*

CAP. LXI.

VI. *Lotharingiæ & Brabantiæ Dux.*

HENRICVS III. inquit Petrus de Thuno, inter Principes sui temporis sanguinis nobilitate præclarus, qui suæ nobilitatis lineam moribus atque virtutibus clariorem effecit, ad subsidium terræ sanctæ Cruce signatus, antequam proficisceretur morte præuentus, in iuuentute florida & in bona confessione Louanij obijt, anno CIↃ. CC. LX. prid. Kalend. Martij.

Pro terra sancta Cruce signatur.

HENRICVS IV. Dux Lotharingiæ, cognomento simplex, nondum sæculum noscens, ad militiam monasticam secessit.

CAP. LXII.

VII. *Lotharingiæ & Brabantiæ Dux.*

HENRICVS III. hęredem reliquit Henricum IIII. puerum nouem annorum: qui postquam sub tutoribus VIII. annis Ducem egisset, membris debilis, & sensu deficiens, fratri suo Ioanni Ducatum resignauit, primùm in Cortenberge, & deinde Cameraci

raci coram Richardo Imperatore sæculo abrenunciáns, monachalem habitum Duionę in Burgundia assumsit.

De sacra militia IOANNIS *I. contra Woringiam, & contra Petrum Regem Arragonum.*

CAP. LXIII.

IOANNES primus benignè annuens precibus Comitis Montensis, Walrami Comitis Iuliacensis, & ciuium Colonienſium, obsedit Woringiam, pessimum Diaboli nidum: è quo negotiatoribus & peregrinis à prędonibus, qui illic morabãtur, multo tempore plurima illata fuerant damna. Archiepiscopus Coloniẽsis, sub quo locus erat constitutus, anno CIↃ.CC.LXXXVIII. die v. Iunij cum horrendo exercitu, qui contra Paganismum videbatur sufficere posse, aderat: attulerant etiam compedes, manicas, & funes, quibus Brabantinos captiuos vincirent. Dux verò, tametsi decuplo plures essent hostes, obuiam tamen eis in aciem processit, cùm acerrimè vtrimque pugnatum fuit. Vbi & Dux ipse, quasi vnus de Machabæis, supra modum strenuè sese fortiterque gessit, ac post diuturniorem conflictum victor euasit, captis Archiepiscopo Siuerto, Comite Geldriæ, Dñ. de Valkenborch, Comite Mursensi, Comite de Nassau, qui postmodùm Imperator fuit, multisque alijs nobilibus & militibus. Ex parte Ducis pauci corruerunt, quorum præcipui fuêre Waltherus Berthouts

VIII. *Lotharingiæ & Brabantiæ* Dux.

Dominus Mechliniæ, & Arnoldus de Zeelhem, homo probus, moribusq. compositus. Destructa ergo Woringia, reuersi sunt in Brabantiam cum magna gratiarum actione, magnificantes Deum.

Tentauerat & ante annos VII. aliam sacram militiam. Siquidem Siculi impatientes libidinis & insolentiæ Gallorum, coniuratione facta anno Domini CIↃ. CC. LXXXI. die Paschæ ad pulsum campanarum quæ populum ad Vesperas conuocabant, omnes Gallos, vna cum vxoribus etiam grauidis contrucidarunt. Vnde prouerbium, Vesperæ Siculæ. Quo facto, ad Petrum Tarraconensem Arragonum Regem defecerunt: qui cùm ob id à Nicolao III. proscriptus esset, & hostis Ecclesiæ iudicatus (testes Æmilius, Platina, Blondus, & alij) mox contra eum Philippus Francorum Rex, Ioannes Brabantiæ Dux, & frater eius Godefridus de Virson, prędicata Cruce, profecti sunt. Est & in annalibus Mechlinienſium, Ioannem Ducem, Pontifice imperante, eò profectum fuisse, posthabito, quod contra Geldrum & Leodiensem Episcopum gerebat, bello: cui præfectum reliquit Waltherum Berthouts Cancellarium, quartum eius nominis Mechliniæ Dominum. In hac profectione multi nobiles Brabanti & Mechlinienses moriebantur. Quin & ipse Rex è viuis excessit, Dux verò æger in Brabantiam est reuersus.

De

De IOANNIS *II. bello Genapiensi pro Iudæis.*

IX. Dux Lotharingiæ & Brabantiæ.

CAP. LXIV.

IOANNIS secundi ætate multi populares inconsultè, nec Cruce prædicata, nec Ducem habentes, expeditionem susceperunt in terram sanctam contra infideles. Hi in itinere Iudæos, quoscunque inuenire poterant, neci tradebant. Quapropter Dux Genapiense castrum Iudæis concessit, vt eo se tutarentur. Sed capitosus & temerarius populus, statim Genapiam obsedit. Cumque precibus & monitionibus Ducis nihil mouerentur, ipse ad eos comprimendos profectus est: cumque rationibus nollent acquiescere, bellum contra eos suscipere compulsus est: prælioque commisso, nonnullis cæsis, reliqui fuga salutem quæsiuerunt.

Ex chronicis Brabantiæ.

De sacra militia contra Pruthenos, tempore Ioannis III.

CAP. LXV.

IOANNES III. paterni nominis & principatus hæres, successit anno Domini ∞. CCC. XII. ætatis anno XII. Quo Duce cognatus eius Ioannes Comes Namurcensis cum fratribus Guidone & Philippo, & cum ingenti societate nobilium anno CIↃ. CCC. XXXV. propter Deum & salutem animæ secessit in Prussiam contra Sarracenos. Ex Bra-

Ioannes III. fuit X. Lotharingiæ & Brabantiæ Dux.

bantis in ea militia inter ceteros inclaruit Wilhelmus de Rode, patritius Louanienſis. Huic militiæ vacare non potuit Ioannes III. Princeps ſimplex, modeſtus, & iuſtus, quia bellum contra eum ſuſceperant Ioannes Boëmiæ Rex, filia Brabantiæ matre genitus, & Ludouicus Comes Flãdriæ, Ducatus partem poſtulantes: quibus ſe multi Principes ſocios adiunxerant. Cõtra quos limites ſui Ducatus magno animo & proſperitate defendit. Obijt Furæ ∞.CCC.LV. die VII. Decembris.

De ſacra militia VVENCESLAI *Ducis.* CAP. LXVI.

XI. *Lotharingiæ & Brabantiæ Dux Ioanna nupta Vuenceſlao.*

PER Ioannam filiam Ioannis tertij Ducatum obtinuit eius maritus Wenceſlaus Bohemus, Dux Lutcẽburgenſis, filius Ioannis Regis Bohemię, frater Caroli IV. Imperatoris.

Hic multa geſſit bella: ſed hoc loco ſacra dumtaxat attingimus, quorum vnum fuit contra ſectam *Iaques Bon-homme*; Alterum contra raptores Vltramoſanos. De priore ſcribunt Gaguinus lib. IX. Maſſæus lib. XVIII. & Tritthemius in Chronico Hirſaugiæ ad annum CIↃ.CCC.LXII. cuius hæc eſt narratio: Exorta eſt in Sabaudia & Gallijs peſſima ſocietas hominum plus quàm centum milium, qui venundati erant vt facerent malum, eratque eis propoſitum, nobilitatem omnem exterminare. Inter Ligerim igitur & Sequanam omnia vaſtabant, vt nullus in villis & agris

agris remanere auderet. Constituerant autem supra se Regem hominem pessimum, quem Iacobum bonum hominem vocabant. Incendijs, cędibus, rapinis omnia implebant: matronis passim pudorem eripiebant: quin & militem quendam, vidente domina vxore eius ac liberis, in veru velut anserem aut caponem assauerunt, volentes vxorem & liberos de tam exsecrabili assatura manducare: nec mora, nolentem cum liberis occiderunt. Veruntamen Deo miserante quàm maximus eorum numerus exstinctus est apud Meldas in Bria. Rex autem Nauarræ nefandas eorum copias prostrauit, ac Regem ipsorum *Iaques Bon-homme* cepit. Qui primùm excoriatus, deinde suspensus est. Reliqua eorum multitudo versus Teutoniam perrexit, vbi etiam restitum eis fuit. Nam Wenceslaus Dux cum sua militia, Dux Barrensis, Dux Lotharingiæ, ac alij plures nobiles, eorum furori se obiecerunt, & prælio commisso eos vicerunt, ac in nihilum omnes conatus eorum redegerunt.

Eodem hoc Duce in Brabantia commorante, crebræ ad eum ac frequentes delatæ sunt querelæ, quòd in castro Hermersbach sese continerent equites, qui mercatores Brabantiæ aliarumque prouinciarum inhumaniter spoliabant, ac malè tractabant, & vias publicas bonis hominibus, ne cum mercibus trāsire possent, intercludebant. Quamobrem videns Dux se saluo timore Dei non posse

posse hæc dissimulare, congregauit electam multitudinem belligeratorum, & summa vsus celeritate eò profectus est. Pertinebat autem locus ad Furstadum de Merode, qui adhuc pueritiæ annos agebat: eius tutores tales hospites illic receptabant. Dux itaque obsessum castrum crebris oppugnationibus per vim cepit, & Diaboli nidum vsque ad solum destrui fecit, & reuersus est in terram suam cum pace. hæc Chronicon Brabantiæ. Dn. Thimo paullo pleniùs scribit, eum Hennersbach, & Stelenborch, & alia raptorum castra vltra Mosam destruxisse.

De sacra militia IOANNIS *contra Turcas, qui fratri suo Antonio Ducatum cessit.*

Antonius, XII. Lotharingiæ & Brabantiæ Dux.

CAP. LXVII.

CVM Sigismundo Hungariæ Regi necesse fuit bellum parare contra * Pazaitem Turcarum Imperatorem, habuit voluntarios belli socios ex Gallia Angliaque non paucos, illustri loco natos. Tum Philippus Audax, qui Carolo VI. Rege phrenetico instar Regis erat, Gallijs præfecit filium suum Ioannem, iuuenem annorum circiter XXV. præclaræ indolis, & omni nobilitati gratissimum.

** al. Baiazetem.*

Ceterùm dum ad Nicopolim Galli primam aciem sibi expetunt auidiùs, inchoata pugna priusquam omnis acies explicaretur, turpiter succubuerunt, quanquam plures ex barbaris quàm ex nostris ea pugna cecide-

rint,

rint, anno CIↃ. CCC. XCVI. IV. Kal. Octobris. Capti hoc bello fuere nobiles plus minus trecenti, qui fœda morte à tyranno necati sunt. Inter quos Henricus Antomensis, Ioannes verò Burgundio cum alijs XXV. nobilibus ægrè redemptus est ducentis milibus ducatorum, fide & virtute Ioannis Helliaci equitis Atrebatis, qui paullo ante Pazaitæ ministrauerat. Ad quam redemtionem Gandauenses quinquaginta milia florenorum contulerunt. Ita Meierus. Reliqua apud eum & alios scriptores passim obuia sunt.

Ioannem IV. anno ætatis XXIV. obijsse condita Vniuersitate Louanienſi, quæ hactenus propugnaculum fidei Catholicæ perstat.

CAP. LXVIII.

PATRI filius successit Ioannes annos natus tredecim, qui primis annis cum XI. mamburnis, ac deinde per se Brabantiam gubernauit. Sed obijt Louanij nobilis Dux ætatis suæ anno XXIV. Furæ apud parentes sepultus. XIII. *Lotharingiæ ac Brabantiæ Dux.*

Hoc Duce Cardinalis Placentinus anno CIↃ. CCCC. XXI. Louanij Crucem contra Hussitas tribus concionibus prædicauit, & ad sacrum contra Pragenses bellum plurimos Louanienſium tam pedites quàm equites excitauit.

Circa eadem ferè tempora Dux Vniuersitatem studiorum, quæ Pragæ perierat, Louanij

uanij obtinuit ad propugnationem Catholicæ fidei. Quod quanto affectu fecerit, ipſe non tacuit, vbi inter cætera iurisdictioni renuncians ſcribit: Studium generale Louanienſe per nos ſummis conſilijs & ardentibus deſiderijs expetitum, per ſanctiſſimum Dn. noſtrum Apoſtolicum tam conſultè quàm prouidè ad crebram noſtram inſtantiam ordinatum & erectum eſt, ad communem noſtrorum principatuum & dominiorum,& ſignanter Ducatus noſtri Brabantiæ, quem ſua virtute poſcente non immeritò præ ceteris adamamus, totiuſque Reip. commoditatem,vtilitatē & profectum. Hęc Ioannes Dux fundator anno CIↃ. CCCC. XXVI. die VII. Nouembris.

De Philippo I.

CAP. LXIX.

XIV. *Brabantiæ & Lotharingiæ Dux.*

PHILIPPVS primus Comes S. Pauli & Ligniacēſis fratri ſuo Ioanni IV, ſed triennio tantùm ſucceſſit, vir alioqui magnæ exſpectationis. Iuerat Princeps iſte Romam, ad inuiſendum ſepulcrum Domini, antequàm inangurari vellet. Quem Pontifex humaniſſimè ſuſcepit, ſed ob pericula domum remiſit. Cùm autem ageretur de futuris nuptijs cum Iolēda filia Ludouici Regis Siciliæ, ipſe in caſtro Louanienſi moritur anno CIↃ. CCCC. XXX. die IV. Auguſti, & Furæ apud parentes ſepelitur.

De

De sacra militia PHILIPPI *Burgundi.*

CAP. LXX.

PHILIPPO primo succeſſit Philippus Bonus Burgundiæ & Brabantiæ Dux, qui anno CIↃ. CCCC. XXIX. inſtituit Senatum ordinis equeſtris, qui à donatione aurei velleris magnificum nomen accepit. Inſtituit autem hanc heroum ſocietatem ad Catholicæ fidei defenſionem. Vnde in eius Epitaphio legitur: XV. *Lotharingiæ & Brabantiæ* Dux.

Tuta à nobilibus quo Eccleſia firmior eſſet,
Nobilis inuentus velleris ordo mihi eſt.

Et in alio Epitaphio:

Defenſioni Eccleſiæ delegimus
Inſigne vellus aureum noſtro ordini.

Quantus autem fuerit eius zelus contra Turcas ſub Nicolao V. & Caliſto III. ſummis Pontificibus, indicat epiſtola Æneæ Siluij Senenſis Epiſcopi anno CIↃ. CCCC. LIV. ſcripta. Vnus mihi videtur, ait, ſupra omnes commendandus Princeps Philippus Burgundiæ Dux; qui etſi Britannico bello implicatus, vocatus tamen ad conuentum, qui pro ſalute populi Chriſtiani erat indictus, noluit excuſari, noluit Reip. deeſſe. Congregationem, quæ cõmune bonum tractare videbatur, noluit ſua præſentia eſſe priuatam. Venit igitur Ratiſponam, iturumq. ſe contra Turcos in perſona propria pollicitus eſt, ſi vel Cęſar, vel Rex Hungariæ, vel alius magnus Princeps exercitum duceret. Sin minus, miſſu- *Epiſt. 127.*

rum

rum se quas posset copias. Neque in hisce rebus excusatum se habere voluit, nisi tale superueniret impedimentum quod tota Christianitas legittimum reputaret. Quis hunc satis commendare Principem posset? Nemo est inter Christianos cui minùs timendi sunt Turci & infideles quàm Dux Burgundiæ: nemo tamen est qui pro depulsandis atque comprimendis hostibus fidei sollicitior eo reperiatur. Vnde ista mens homini? Nõ cupido rapiendi hunc trahit, cui opes sunt infinitæ. Non spes vlla voluptatum, quibus frui victores putant, qui iam æuo est prouectior. Et si delicias amat, nusquam maiores quàm domi reperiat. Non augendi dominij ratio, qui se nouit in Græcia aut Asia nequaquam regnare posse. Sed est hic religiosus Princeps, amat Ecclesiam matrem suam, cupit fidei nostræ consultum esse, dolet cùm audit nomen Domini blasphemari, miseretur infelicibus animabus, quæ dietenus in captiuitatem à barbaris rapiuntur, pudet eum ignominiæ quam Turci nobis inferunt. Est enim nobilis animus. Non potest mens alto sanguine nata non alta meditari. Nihil turpe ferre potest generosus spiritus. Videt se dono Dei ampliſſimis & populosiſſimis regionibus præfectum, multisque beneficijs cumulatum. Non vult ingratus videri. Recognoscit munera in se diuina esse quàm plurima, vult pro sua facultate vices reddere. Meminit Ioannis

patris

patris sui, quem Turci pugnantem pro fide Catholica captiuarunt. Cupit vlcisci paternum vulnus, imitariq́ue maiorum suorum vestigia, quos pro fide orthodoxa constat fuisse ardentissimos.

Idem Æneas cùm iam esset Pius II. summus Pontifex anno CIↃ. CCCC. LXI. expeditionem in Turcas parauit, & per acres litteras hortatur dilectum filium, nobilem virum Philippum Ducem Burgundiæ, vt voto & promissis satisfaciat, ac in expeditionem contra Turcos, immanemq́ue belluam Mahometem, Christianum sanguinem sine fine sitientem, secum proficiscatur. Ex rumore enim intellexerat nobilitatem eius mutato consilio domi remansuram, & certum numerum bellatorum, qui vicem suppleat, missuram. Pij litteris acceptis, optimus Princeps, ait Barlandus, non distulit quantum potuit militum ex omnibus suis prouincijs conuocare, cum instructo exercitu ipse haud dubiè profecturus, nisi partim senio præpeditus, partim aliis implicatus malis, domi manere coactus fuisset. Emisit igitur Antonium nothum suum, ingenti animo ac fortitudine virum, qui copias duceret. Is ex Brabantia profectus cùm in Gallias veniisset, non est ausus longiùs procedere, propter ostensas sibi litteras, quibus inerat, iussisse Philippum patrem vt interficeretur. Hæ litteræ, vt postea compertum est, non à patre, cui vnicè charus *Epist. 382.*

erat, sed ab huius consiliarijs aliquot scriptæ fuerant in gratiam Ludouici Gallorum Regis, cui soli cum Pontifice parum conueniebat. Verùm Pontifex progressus Anconam, ibi diem suum obijt, cœptamque morte sua turbauit, infectamque reddidit expeditionem. Hinc legitur in Ducis Epitaphio:

Studio iuuandi Christiani nominis
Nostras triremes misimus Papæ Pio:
Ductu meo bellum paraui barbaris,
Sed obstitit mors, quæ regnat potens nimis.

De militia CAROLI AVDACIS.

CAP. LXXI.

XVI. Lotharingiæ & Brabantiæ Dux.

PHILIPPO Bono successit anno ∞. CCCC. LXXI. Carolus filius, cognomento Audax & Bellicosus. Gessit enim multa bella: inter quæ maximè memorabilis est tristis in Leodienses expeditio, quam nondum eorum animi decoxerunt; quamque ego ad sacram militiam referre non audeo.

Anno tamen ∞. IVC. LIV. Insulis post votum patris sui, vouit ipse etiam hoc modo: Promitto Deo creatori meo, diuæ Virgini Mariæ eius matri, nobilibus matronis, ac phasiano, si Dn. paterque meus sacram, vt proposuit, sesequé facturum sperat, susceperit expeditionem, eiusque sit voluntatis me comitem proficisci, voueo me iturum, eique pro virili seruiturum.

Hic

Hic primus fuit, inquit Pontus, Belgarum Principum, qui nobiles ac potentes homines armis ius, quod habere sese existimabant, exsequi prohibuit.

De sacra contra Turcas militia MAXIMILIANI *Imperatoris.*

CAP. LXXII.

XVII. *Lotharingiæ & Brabantiæ Dux, Maria nupta Maximiliano Imp.*

PER Mariam vnicam Caroli Ducis filiam & hæredem Maximilianus Austriacus ad Ducatum peruenit: qui etiam, mortua charissima sibi coniuge, liberis nondum puberibus tutor datus est.

lib. 2.

Hic, vt Lazius scribit in Commentarijs genealogię Austriacæ, quintũ bellum absens per suos in Carniola & Windorum Marcha aduersus Turcas administrauit: qui facta incursione anno CIↃ. CCCC. XCII. miserè Carniolam, Cilienſem ditionem, Carinthiam & Styriam depopulati fuerant. Quo bello Georgij ab Herberstein virtus enituit. De hoc bello sunt carmina Ioannis Rami.

In Mahometigenas deduxit & agmina turmas,
A quibus affectus clade Liburnus erat.

PHILIPPI *Ducis & Regis Castellæ pacata fuisse tempora.*

CAP. LXXIII.

XVIII. *Lotharingiæ & Brabantiæ Dux Philippus Rex Castellæ.*

PHILIPPVS annum agens ætatis decimum sextum, præsente patre Maximiliano, Louanij inauguratur anno CIↃ. CCCC. XCIV.

die IX. Septemb. De quo hoc loco id dicere sufficiat quod Marchantius scribit : Philippo Austrio primo, nihil humanius, nihil magis pacatum fuit. Ex Ioanna Ferdinandi & Isabellæ Regum Hispaniæ filia & hærede, Carolum & Ferdinandum Impp. Eleonoram Lusitaniæ Galliæque, Isabellam Daniæ, Mariam Hungariæ, & Catharinam Lusitaniæ Regibus nuptas felicissimè progenuit. Fuit ille Brugis vrbe Flandriæ natus Burgis vrbe Castellæ febri exstinctus, Granatæ Beticæ sepultus, quum viginti quinque Imperij materni, viginti VIII. anno vitæ expleuisset.

De multiplici sacra militia CAROLI V *Imperatoris.*

CAP. LXXIV.

XIX. *Lotharingiæ ac Brabantiæ Dux Carolus* V. *Imperator.*

NVNC ad Carolum V. veniamus, nostra memoria optimum Principem : qui in sacris bellis animum & vestigia Caroli Magni est imitatus.

1. *cont. Marrh.*

Primum eius bellum fuit anno CIↃ. IↃ. XVIII. contra Marrhanos. De quo Surius in Commentarijs : Carolus Hispaniarum Rex magnas eduxit copias cõtra Marrhanos, & expugnatis munitissimis eorum oppidis, plus minus XL milia barbarorum prostrauit. Ex præda eius victoriæ duo pretiosissima vexilla Cæsari Maximiliano auo suo paterno transmisit.

Secun-

Secundum bellum fuit tumultus rusticus Germanorum. De quo Zenocarus: In Germania anno ∞.IↃ.XXV. grauissimum exortum est bellū, quod populare seu rusticorum vocabatur. Cæsar, tumultus occasiones ex immutata per Lutherum religione enatas sentiens, varias ad varios Principes de illo bello restinguendo litteras dedit. Atque ita septem in locis, diuersisque septem certaminibus intra quadraginta dies, centum & quadraginta milia Germanorum à septem Cæsariano sacramento adstrictis copiarum Ducibus, eo bello cæsa referebantur. II. *contra Rusticos Germanos.*

Tertium bellum fuit Viennense. Solymannus, ait Zenocarus, Turcarum Dominus ter centum, ad Viennam Austriæ Metropolim obsidendam, milia hominum adduxerat. Ei per suas fratrisque Ferdinandi Regis copias sic resisti curauit Cæsar, vt cum magna clade suorum anno æui nostri XXIX. Byzantiū reuersus sit. Sed de hoc latiùs hunc in modum Laurentius Surius: Locis aliquot patefactis audacissimè in vrbem irruentes, tanta vi Germanorum repulsi sunt, singulari Dei benignitate, vt in toto hoc bello è Turcis ad LXXX. milia periisse ferantur, tandemque cum dedecore & ignominia coactus sit Solymannus obsidionem soluere, & in Thraciam, re infecta, abire. Sub Turcarum aduentum iussi erant excedere sacerdotes, monachi, feminæ, pueri, & omnis imbellis III. *Viennense.*

imbellis turba. At, quod summè dolendum est, ij magna ex parte in immanes barbaros inciderunt, qui infantes secuerunt medios, feminas & senes quos in seruitutem nollent abducere, partim palis infixerunt, partim verubus transfoderunt & gladijs discideruntur. Feruntur in ea Turcicæ vastitatis procella supra sexcenta milia Germanorum in seruitutem rapta.

IV. Pannonicum.

Quartum bellum fuit anno ∞. IↃ.XXXII. Pannonicum. Solymannus enim tertio post anno ad obsidionem Viennensem, Austriæque & Germaniæ excisionem, cum duplo maioribus quàm antea copijs rediens, rem totam Germanicam de salute sua, si Turcus vinceret, periclitantem, magno metu perculit. Sed Cæsar aduersus eum cum maximo ex Belgica exercitu, vbi tum erat, progressus, prima illic militiæ suæ arma induit. Quod Christiani Principes in Christianorum Principum monarcha summopere omnes cùm annotarunt, tum laudarunt. Id autem bellum sic Cæsar confecit, vt Solymannum magna strage edita ab Austriæ Germaniæque finibus quàm longissimè submouerit. Ac ob id Germani illum Conseruatorem Germaniæ vocauerunt. In hoc bello quatuordecim illustres aurei velleris equites se supra ceteros mortales gloria & prædicatione extulerunt.

V. Peloponnesiacum.

Quintum bellum fuit Græcum siue Peloponne-

loponnesiacum : ad quod Cæsar, vt Turcis maiorem terrorem incuteret, eodem tempore misit cum valida classe Andream Auriam, Melphis Principem. Et is quidem ad Patras, Methonem & Coronem Cæsaris trophæa, magnas adeptus victorias, erexit, Coronemq., electis Turcis, iuris Cæsarij efficiens, latissimè terrorem armorũ Cæsaris per totam Græciam circumtulit. Ob hanc victoriam Græci Cæsarem suum Liberatorem appellauere, votaque pro eius Imperio & monarchia publicè ad Christum & passim fecere.

Successit ad annum ∞.IↃ.XXXIV. sextum bellum Anabaptistarum Monasterij in Westphalia. Quæ ciuitas Cæsaris edicto armis circumsessa, & post longam annalemque obsidionem vi tandem expugnata, veteri religioni est restituta. Pulsi Anabaptistæ ex alijs Germaniæ locis per Westphaliam, Frisiam, Hollandiam, & vicinas gentes se dispersere. Monasterium, gentis Westphalicæ caput, velut asylum, concordibus animis elegêre, recepti à ciuibus clam magistratu. Duos menses & plus eo animos hominum promiscuè cùm infeciissent, in milia aliquot excreuerunt. Senatus, quum hoc Reip. statu diutiùs obdormierat, cum senatusconsultis & sanctionibus pestem vrbe pellere conatur, ipse ab incondito rum hominum colluuie pulsus est. Monasterienses tandem grauissima obsidione eò redacti sunt, vt mures & gli-

VI. *Anabaptistarum.*

res iam apud eos in delicijs essent, corioque & pellibus contusis coctisque panis loco vescerentur; Rege interim sartore Leidano, quem sibi elegerant, non ad necessitatem modò, sed etiam ad luxum rebus omnibus abundante. Vrbe verò mox capta, Ioannes Bocoldus Rex annos natus XXVI. captus, ignitis laminis toto corpore excarnificatur, ac ferrea inclusus cauea, vt apud posteros memorabilis tragœdiæ monumentum exstaret, è summa D. Lamberti turri suspenditur. Occuparant Anabaptistæ circa eadem tempora ad Bolsuerdam vetus monasterium, sed Frisiæ præfectus Georgius Scenckius, vir præter alias virtutes militari gloria clarus, charus ob id acceptusque Carolo Imperatori, celeriter ex vrbibus & agris contractis copijs, priusquam noua colluuie augerentur, castris positis locum obsedit, & pertinaces in ipsis sui motus initijs oppressit. Tentarant etiam Amstelredamum: sed Consulum præfectorumq. industria ac ciuium fortitudine ciuitas à vastatione & seruata & vindicata est.

¶ 11. *Carthaginense.* Monasterienſe bellum excepit Cartaginense, inquit Zenocarus; quod Libycum siue Tunetanum dicitur. Ac Cæsar, vt aduersus Turcas & Christianæ fidei hostes rursus arma indueret, contracta ter centum & quinquaginta nauium classe, ex Hispanijs in Goletanum Africæ littus nauigauit, anno sæculi & ætatis suæ XXXV. Goletam arcem portumque,

tumque, postquam feliciter aliquoties cum Barbaris dimicatum esset, vi cepit. Hinc Tunetum regiam Libyę, totiusque illius Africani littoris Metropolim, obsidere constituit. Sed Hariadenus Ænobarbus, Barbarossa vulgò dictus, ostentata priùs pugnandi summa alacritate, Cæsaris aduentantis aciebus profligatus, cum bis centum milibus peditum, sedecim milibus equitum propulsus aufugit. Itaque Cæsar Tunetanis Muleassem Regem dedit, regnumque ipsum sibi beneficiarium & vectigale, Christianis autem omnibus amicum fecit. Ter septem Christianorum milibus, quæ à multis illic annis in vinculis detinebantur, libertatem restituit. Ob quam victoriam à multis Italiæ Siciliæque ciuitatibus per quas Cæsari transeundum erat, ab ipsis quoque Senatoribus & ciuibus Romanis, Tertius Africanus publicè est appellatus. Ac ipse quidem bellum istud Africanum, vicinis vndequaque Regibus aut metu aut fœdere domitis, eiectisque è mari piratis, XL. diebus totum absoluerat. Quo in bello illustres aurei velleris equites, Auriæ duo, Gonzaga, Vastius, Albanus, Bossuus, Pratus, non exiguam sibi laudem compararunt.

Interea temporis dum ciuilibus bellis con- VIII. Mexicanum.
cussus Christianorum orbis, Cæsaris clemen- IX. Peruacum.
tiam patientiamque experitur; vna se Carolus re consolabatur, quòd è tribunis suis Ferdinandus Cortesius in regno Mexicano, &

Franciscus Pizarrus in regno Peruaco ingentibus terrarum nouarum vastitatibus repertis, octodecim Reges, totidemque prouincias, acerrimis prælijs deuicissent, omnesque & Reges & Regna non solùm Imperio suo subditi, sed Christiana etiam pietate essent imbuti.

X. Corfiniense.

Solymannus verò, Caroli cum Francisco bella suis rebus gerendis vtilissima fore existimans, in maris Adriatici fines Corfinium venit. Sed Andreas & Antonius Auriæ in duodecim triremes Callipoli venientes, & antea in vndecim naues ex Alcaico progressas vterque incidens, omnes illas hostiliter exceperunt, ac Ianizeris earum præsidiarijs interfectis ceperunt. Dumque in Epiro Turcus summam Cæsari & Venetis perniciem moliretur, ita illi & in Epiro & ad Corfinium ab eo obsessum resisti curauit Cæsar, vt cum summa suorum laude Turcum abire compulerit. In quo bello M. Grimanus & Vincentius Capellus, ille Pontificis Paulli III. hic Venetorum in exercitu legatus, præclaram Cæsari & Reipub. totique Italiæ operam præstiterunt.

XI. Dalmaticum.

Haud procul ab Epidauro anno sequenti, mense Octobri gestum est bellum Dalmaticum ad Castrum nouum, quod cum duabus munitissimis arcibus Andreas Auria & Ferdinandus Gonzaga Cæsaris iussu expugnauerunt. Quo bello, quemadmodum & superiore

periore ad Corfinium gesto, plurimi ex hostibus à Cæsarianis sunt interfecti.

Cumque ad reliquarum rerum in Græcijs & Asia perficiendarum curam se componeret, & multas naues ex Belgica sua conuocasset anno proximè sequenti, inter eà mors Imperatricis ex puerperio defunctæ, obitus etiá Andreæ Gritti Venetiarũ Ducis, & frumẽti maritimis in locis raritás interueniens, curas Cæsaris grauiores & duriores effecit.

Secutum est mox bellum Algerienſe. Nam cùm Cæsar, comparata classe, mense Octobri anchoras in Africa ad Algerium littus figeret, ac legiones Italicas, Hispanicas, atque Germanicas in Mauritaniam exposuisset, tanta subitò coorta tempestas fuit; vt magna nauium pars collisa in conspectu Cæsaris demergeretur. Hac Dei ira animaduersa, Cæsar sacratissimæ synaxeos communicatione Deo se reconciliauit: idem toti exercitui imperans. Itaque cum Mauris & Turcis acerrimè semel atque iterum dimicatum est. Algerium Ducibus & militibus facillimum expugnatu videbatur: sed non conquiescentibus ventorum iris, Cæsar militem ad naues progredi iussit. Receptus ad naues vno tempore & cum hoste & cum tempestatibus dimicandum erat. Publicè iam apud Gallos sparsum erat, Cæsarem illic vndis absorptum fuisse, cum Villaganon Rhodiensis eques, cuius vitam Carolus seruarat, perscriptis quas

XII. *Algerienſe.*

ad

ad Algeram Cæsar gesserat rebus, famæ apud Gallos de morte Cæsaris percrebescentis auctoritatem minuit. Milites incolumitati restituti passim canebant, Alibi Carolus agmina; Algeræ sese & aëra & maria vicit.

XIII. *bellum Pannonicum.*

XIII. bellum fuit Pannonicum. Quo enim tempore Gallus Perpenianum obsidebat, & ex lateribus Belgicam penetrare satagebat, Cæsar in Pannoniam cum totius Germaniæ assensu & stipendio misit Ioachimum Brandeburgensem electorem. Sed cum sua auxilia Gallico bello præuentus adiungere non posset, multo minùs ipse adesse; exspectatum eo bello finem non est assecutus, nimis abundanter copijs Turcarum ad Budam ab obsidione liberandam superuenientibus. Attamen illa quæ à præsidiarijs Ferdinandi custodiebantur oppida non parum in fide confirmauit. Tum Vastius, reiecto ab arcis Nicenæ expugnatione Ænobarbo Turcici maris præfecto, non inanem Reipub. & Cæsari operam impendit.

XIV. *bellū malecaldicū.*

Anno deinde ætatis Caroli & æui nostri XLVI. Ioannes Fredericus Saxoniæ Dux, Philippus Landtgrauius Hessiæ, Vdalricus Wittenbergensium Dux, multique Germaniæ Principes & ciuitates Carolo in caussa religionis parere nolentes, subitò ad arma concurrunt. Cæsar, tametsi priùs ab hostibus ferè opprimeretur quàm belli curam suscepisset, suas tamen etiam copias collegit, fortissimaque

maque

maque Albani Ducis & Comitis Bureni; eo in bello opera vsus, Smalcaldici fœderis socialem potentissimum exercitum, in quo per sex menses centum & viginti milia hostium à Cæsare propinquis castris cernebantur, industria sua & sapientia militari fregit atque deuicit: omnesque Germaniæ Principes, clementia sua vsus, veteri & libertati & amicitiæ suæ restituit.

Postea Ioannes Fredericus Saxoniæ Dux Cæsarem in Saxoniam pertraxit. Cum quo confligere paratus Carolus cùm Albim vado transisset, ex improuiso irruens, omnem eius exercitum cecîdit, ipsumque in prælio cepit. Subacta itaque Saxonia, Duce capto, & Philippo Hessiæ Landtgrauio sese dedente, reliqua erat Parthenopolis, quæ Magdeburgum dicitur. Hæc igitur obsessa Cæsaris iussu, atque ad deditionem compulsa, belli finem fecit. XV. *Saxon*

Postremò, cùm Philippum filium Cæsar ex Hispanijs euocatum, Italiam, Germaniam & Belgicam lustrare voluisset, Andreæ Aurio Melphitano Principi, & Ioanni Vegæ Siciliæ Proregi mandatum dedit, vt Aphrodisium à nostris Africâ dictũ, atq. in littore Africano sitũ aggrediãtur, & vicina illi loca in potestatem redigant. Id, quemadmodum à Cæsare imperatum, ita præstitum quoque ab eis fuit: ac Dragutes, piratarum Turcicorum facilè Princeps, è munitissimis speculis XVI. *bellum Aphrodisiacum.*

ope Cæsaris eiectus, totumque mare deiectis archipiratis pacatum est. Commentarium de expugnato Aphrodisio conscripsit Ioannes Christophorus Caluetus Stella, eumque Ludouico Auilæ, militiæ Alcantarensis præfecto, dedicauit.

Excessit è viuis die XXI. Septemb. anno LVIII. pijssimus & celeberrimus Princeps Carolus V. Romanorum Imp. potentissimus, septimo à translato in fratrem Imperio mense. Mortuus est autem in cœnobio S. Iusti, septem à Placentia Hispaniæ miliaribus, cùm annos paterni principatus quinquaginta, ætatis LVIII. peregissset, rebus gestis omnium Cæsarum gloria vel æquata vel superata.

Cùm vltima in ægritudine versaretur, in precibus ardentior, sæpe & piè admodum pro Ecclesiæ concordia Deum orabat, inquiens; In manus tuas, Domine, tradidi Ecclesiam tuam.

Multi multa de hoc victoriosissimo Imperatore scripserunt: sed inter eos Principem locum obtinet Guilhelmus Zenocarus Brugensis, eques auratus.

De sacris bellis PHILIPPI II. *Hispaniarum Regis Brabantiæ Ducis, &c.*

CAP. LXXV.

XX. Lotharingiæ & Brabantiæ Dux Philippus II. Rex Hispaniarum, &c.

CAROLO V. Imperatori, post immensos cùm in hæreditarijs sibi ditionibus, tum in Imperio sacro propugnando perpessos labores, ad quietē sese danti, & quod exiguum super-

supereſſe ſentiebat vitæ ſpatiũ pia ſolitudine tranſigenti, in Imperij dignitatem Ferdinandus frater, in hæreditatẽ verò tot tantarumque prouinciarum Philippus filius ſucceſſit. Is ſub annum CIↃ.IↃ.XLVIII. Brabantiam ingreſſus, ſummaque Caroli Patris gratulatione & incredibili gentis ſtudio exceptus, rerum adminiſtrationem aſſumpſit.

Huic potentiſſimo Regi quanta ſit Catholicæ religionis tuendæ cura, quantum ſtudium, teſtantur non ſubditæ ſolùm ei ditiones, ſed exteræ etiam ad fidem amplectendam, obedientiamque Romano Pontifici præſtandam compulſæ.

Nam & abſque eo quòd eius præcipuè auſpicijs ingentes illi nuper repertæ Orientalis Indiæ tractus à turpiſſimo idolorum cultu ad veri Dei cognitionem magis magiſque quotidie conuertuntur; illud profectò non exiguum eſt pietatis in tanto Principe argumentum, quòd cùm Mariam Henrici VIII. Anglię Regis filiam atque hæredem in vxorem duxiſſet, hoc ante omnia egit, vt conuentu procerum eius regni Londini habito, cui ipſe etiam cum Regina vxore interfuit, à ſchiſmate & hæreſi quæ Henrici VIII. rebellione amplexi fuerant Angli liberarentur. Id quod & perfectum tunc fuit, Anglia poſt xx. amplius annum cum Eccleſia conciliata. *Ann.* 1555.

Eadem quoque pietate inferiori ſuæ Germaniæ fame propemodum pereunti ſubuenit: 1557.

uenit: aliunde enim frumenta aduehi curauit, & supra tria milia pauperum regio sumtu dicitur aluisse.

Quo tempore cùm ad S. Quintini, quod Francorum est oppidum, nobilissima Gallum cæde strauisset, atque ob id oppidani de subsidio desperantes, imbellem hominum turbam excedere iussissent, eam Philippus, datis etiam curribus, per media castra in Franciam deuehi iussit. Publico etiam cauit edicto, vt ciuitate expugnata à sacris templis, senibus, sacerdotibus, & cœnobitis abstineretur, maximè verò vt sancti Martyris reliquiæ quàm sanctissimæ haberentur.

Sed vt ad sacra huius Principis bella veniatur, simulatque à Francicis dissidijs exsolutus
1564. huic rei animum adijcere potuit, mox instructa c. triremium classe, in Africam misit Garsiam Toletanum, qui arcem de Peuol, Christianorũ nauigationibus infestissimam, expugnaret. Arx igitur ita inter abrupta montium altissimorum saxa collocata, vt non hominibus modò, sed ipsis etiam ibicibus inaccessa videretur, summa & militum & ducum fortitudine est expugnata, paucissimis Christianorum desideratis. Pridie quam id fieret, celebratæ erant per castra supplicationes & preces, communicarant etiam corpori Dominico non Duces modò ac nobiles, sed gregarij etiam plerique milites; vt non tam humana industria, quàm diuino præsidio

de

de munitissima ista specula deturbati esse barbari videantur. Expugnata arce cùm rebus compositis in naues se quisque reciperet, ingens Numidarum Turcarumque multitudo ex improuiso in descendentes irruens, damno nullo maiori accepto, est profligata.

Maioris verò momenti est Melites oppu- 1565.
gnatæ expugnatæque propemodum, liberatio. Eam insulam cùm Solymannus Turca c. LXVIII. triremium classe pertinaciter oppugnaret, remque incredibili barbarorum audacia ad extremum propè deduxisset, misit etiam eò Rex Philippus Garsiam Toletanum Siciliæ Proregem, vt equites Rhodios, tanta virtute & constantia stationem suam defendentes, liberaret. Id quod ipse, expositis primùm in continentem VIII. milibus CCC. militibus, ac toto deinde ex vicina Sicilia aduecto exercitu, confectum curauit. Quæ Rhodiorum militum liberatio quanti momenti necessitatisque fuerit, vel ex hostium conatu perspicuum est. Tanta namque pertinacia, tantaque vi à barbaris pugnatum fuit, tantaque à Rhodiensibus virtute restitum, vt ad viginti tria Turcarum in insula ipsa cæsorum inuenta cadauera fuerint, septuaginta duobus & eo amplius pilis tormentarijs maioribus in insulam iactis.

Tertium habet locum inter Philippi Re- 1570
gis bella sacra, nobilis illa Christianorum

victoria naualis ad Echinades insulas. Selymus apud Turcas, Solymanno patri vita functo in Imperio fuerat substitutus. Is confestim initio imperij sui, instructa centum sexaginta triremium classe, Cyprum insulam occupare constituens, omnes eò Turcici regni vires potentiamque transmisit. Dux belli constitutus est Piali Bassa, qui, vt hæc expeditio susciperetur, Selymum adduxerat. Oppugnata igitur terra marique, quin & capta est Cyprus. Victor Piali non Cretam modò ceterasque in mari mediterraneo Christianorum prouincias animo ac spe sua deuorarat, sed penitiùs etiam in eorum ditiones ingredi posse sperabat. Tum Philippus Rex tametsi longiùs ab hoc periculo, quod Venetis potissimùm imminebat, constitutus, Andream Auriam tamen, nauarchum Regium, cum quinquaginta triremibus Venetis auxilio esse iussit. At cùm hoc anno nihil se Christiani mouissent, rei non du-
1571. bium difficultate absterriti, & subsequenti æstate numerosior etiam Turcarum classis Christianorum ditionibus immineret; sacro se fœdere adstringi voluit optimus Rex, quod pro Christiani nominis defensione inter Pontificem Pium v. Philippum Regem, & Venetam Rempubl. ictum est. Ea res vsque adeo Philippo cordi fuit, vt statim parata LXXXI. triremium & XX. onerariarum nauium classe, Ioannem Austriacum fratrem

fratrem suum præclarissimũ, adolescentem, sacri belli futurum Ducem ex Hispanijs Genuam, Genua in Siciliam dimiserit; vbi coniuncta cum Venetis classe, susceptisque Pontificis auxilijs, hostium sese superioris anni victoria superbientium conatibus obiecit. Id quod ita prosperè ab eo peractum fuit, vt atrociſſima ad Actiũ prope littus nauali pugna commissa ex ducentis quinquaginta Turcarum triremibus vix quadraginta noctis beneficio euaserint, reliquis omnibus aut in mare depressis, aut in victoris potestatem redactis, cæsa innumera barbarorum multitudine, captis c c c xc. tormentis bellicis, & hominibus non paucis. Memorabilis ea fuit Christi victoria, vt à multis scriptum sit, parem è Turcis nunquam habuisse.

Neque tamẽ ita hac clade terrebatur Selymus, quin, restaurata in sequentẽ annum classe, rursum in Christianos soluere cogitaret. Itaque Philippus Ioannem Austriacum è Tuneto, ad quod eripiendum Turcis in Africam profectus erat, reuocatum, denuo vt Venetis coniunctus Turcicæ classi obuiam iret, iussit. Eius aduentu cùm territus hostis superioris cladis memoria in Pylum non sine damno recessisset, à regia classe aliquandiu obsessus est. Sed cùm id frustra fieri postea intellectum esset, simulque æstas iam esset inclinatior, in hiberna sese recepit. 1572.

1573. Quibus ſimulatque excedere per hyemem licuit, in Africam profecta eſt. Vbi regnum Tunetanum, capta Tuneto, Turciſque profligatis, atque alio conſtituto Rege, Chriſtianis parere docuit.

Incepit anno 1567. et durat etiam nunc, & nõdum finis.

Sequentes Regis Philippi annos hactenus occupatos habet bellum grauiſſimum quod ad XXIV^m^ nunc annum ſummis & viribus & opibus cum hæreticis gerit. Nam cùm belgicæ pleræque ditiones, Germanos Galloſque vicinos ſuos imitatæ, à fide Catholica & Orthodoxa, ſimul & obedientia Principis ſui receſſiſſent, ita vt res non tam clementia & benignitate quàm armis & ſeueris hæreticorum caſtigationibus indigere videretur: primùm quidem cum lectiſſimo milite, ad componendos Belgarum motus, miſſus eſt Dux Albanus: illi ſubmiſſus Ludouicus Requeſẽtius, magnus Caſtiliæ Prior: hinc res Ordinibus patriæ credita: inde ſubſtitutus eſt Ioannes Auſtriacus frater: atque hoc magno bonorum omnium deſiderio regenti, ac maiori luctu & mœrore non ita multo pòſt è viuis ſublato, Alexander Parmenſium & Placentinorum Dux, qui à LXVII. in hunc vſque annum, potentiſſimi Regis nomine cum hæreticis ſubditis pro fide tanquam cum hydra Lernęa pugnarunt. Quo bello quoties commiſſum prælium, quot ciuitates hoſtibus ereptæ, quot ab eis rurſum recuperatæ, quantum denique ſanguinis

sanguinis toto eo tẽpore fusum sit, norunt ij qui tempora illa plus quàm ferrea vixerunt.

Interea tamen neque Turcis parcitum est, 1576.
missa contra eos in Africam classe, cui præerat Marchio S. Crucis: sed quæ, cognito mox per transfugas Turcarum consilio, in Hispanias est reuersa.

Ita Rex verè omnibusque modis maximus, fortunas omnes, viresque immensas à Deo acceptas, in debellandis Ecclesiæ hostibus non inutiliter impendit. Quem vt Deus Opt. Max. quam diutissimè ad Ecclesiam suam toto terrarum orbe propugnandam, hostibus terrorem conseruet, ardentissimis pro eius salute votis bonos omnes æquissimum est precari

FINIS.

CL. V. D. HENRICO CVYCKIO, VNIVERSITATIS LOVANIENSIS Cancellario, & Ecclesiæ D. Petri Louanij Decano, Mæcenati suo, S. P.

LIBELLVM *De sacra militia Ducum & Principum Brabantiæ Ioannis Molani, Theologi nuper Louaniensis, viri cùm in omni historiarum genere, tum verò in sacra potissimùm versatissimi, à T. D. typographis tradendum, dici non potest quanta cum animi mei voluptate perlegerim. Continere enim mihi visus est non contemnendam patriæ huius Belgicæ historiam, cùm eorum qui Brabantiæ, Lotharingiæ olim nuncupatæ, præfuerunt, res gestas ordinemq; gratissima breuitate describat. Paucos sanè inter tot huius sæculi historicos fuisse existimo, qui tanta diligentia patriæ suæ Duces, eorumq; victorias sacras conquisiuerint: vt eam ob rem Molano præ ceteris facilè hîc fidam. Conscripsit autem hæc ipse, non ex suo confícta cerebro, aut à vehementiori aliqua animi affectione commotionéue vel minimum passus; sed ex vetustissimis, quæ nusquam non perlustrauerat, ciuitatum Belgicarum monumentis, & antiquæ fidei historiographis non paucis. Solet enim hîc plurimùm ab historicis plerisque peccari; qui, dum ex animo sæpe laborant, minùs curiosi*

curiosi sunt, minúsq. in ijs, quæ necessaria quodā-modo videantur, adjiciendis elaborant: tacco quòd historiam suis quandoque scriptis, quàm alioquin futura esset, obscuriorem reddant. Qua ratione iniquè atque iniuria cum nobilissimis Lotharingiæ nostræ Ducibus à non paucis actum est: quidum eorum historiam vel ex professo scribere, vel suis inserere scriptis conati sunt, nescio an veterum ope destituti, an ex affectu rem æstimantes, turpissimè eam lacerarunt. Vt multum Brabantia nostra Molano debeat, qui, vt nullus ante eum historicus, integram exactamq. Ducum seriem ex vetustissimis fidissimisq. diuersarum quoque nationum historicis, in hoc libello contexuit: à quorum fide vsque adeò discedendum sibi non esse videtur existimasse, vt parum Latinas alioquin ipsorum locutiones in suos libros transferre non dubitarit. Itaque hoc consecutus est, vt nec fides eius in controuersiam cadat; & historiam pluribus locis valde obscuram & intricatam, multo reddiderit illustriorem. Quo argumento quid de Martyrologio Belgico eiusdem Auctoris, nondum edito, sperandum sit, colligi potest. Interea verò, quòd pauca quædam esse viderentur in opere tam nouo, quæ pluribus quandoque verbis explicata curiosus historiæ lector existimauerit, tuo in primis hortatu iussuq. V. Cl. ea ad historiam sacram notaui, quæ clariora ex profana historia reddi posse arbitrabar. Quod cùm facere incepissem, in eumq. vsum Auctoris historiam Louaniensem XIV. libris com-

prehensam à tua Dn. accepissem, gauisus profectò fui, quòd ea, quæ notanda mihi tam antea videbantur, explicatiora pleraque in magno isto opere continerentur; quodq; ea quæ studiosè futuræ iam notationi cõscripseram, ab ipsõ etiam Molano notata fuisse viderem. Itaque, posthabitis etiam ceteris, Molanum Molano ferè, si quid opus esse videbatur, explicaui. Cumq; non parum lucis afferat, eorum, quos legis præfuisse, genus atque originem ante oculos habere, adiunxi historiam Regum Sicambrorũ, à quibus eorũ qui ante Pipinũl. Brabantiam rexerunt, origo deducitur; ex quibus se prognatos esse nobiliores etiamnum Principes gloriantur. Ea siue vera sit siue falsa narratio, certè Hunibaldi est vetustissimi scriptoris, qui tempore Clodouæi primi Christiani Franciæ Regis per 900. amplius elapsos annos, historiam contexuit. Ex illa deinde continuam quandam genealogiam ac seriem Belgarum Principum, eorum quorum hoc libello fit mentio, ad Philippum vsque II. potentissimum Hispaniarum Regem deduxi: ne quidquam, quod ad illustrandam Brabantinorum Ducum historiam pertinere posset, omisisse viderer. Ea verò omnia eo mihi loco futura statui, quo T. D. futura cognouero. Bene vale Mæcenas optime.

Cl. D. T. deuinctissimus

Pet. de Lou Siluæd.

AD

AD HISTORIAM IOANNIS MOLANI DE SACRA DVCVM BRABANTIÆ MILITIA, NOTÆ,

A M. Petro Louvvio Siluæducensi in lucem emissæ.

AD PRAEFATIONEM MOLANI.

NON *altiori oportet repetere principio*] Quin ante Pipinum 1. Ducem Brabantiæ culta fuerit hæc regio, quæ nunc Brabantia dicitur, Principemque, qui ei præesset, habuerit aliquem, non est negandum : nullus tamen ante Pipinum Dux fuit. Nam cùm Reges suos haberet Austrasia, domi se continentes, Duce opus non erat: ijs verò deficientibus, & regno Austrasiæ cum Francia copulato, necessarium fuit in ea regione cum exercitu aliquem esse, qui Regio nomine prouinciam tueretur. Is itaque tempore Clotharij (seu Lotharij, vt alij legunt) primus fuit Pipinus Dux, ad annum Domini 625. patre natus Carolomanno viro nobili, & qui in tuendis regni Austrasiæ limitibus non inutilem sæpiùs operam Regibus suis nauarat, vsque adeò vt hi, qui Duces Brabantiæ ac Tungrorum à Saluio Brabone Sumnianæ Iulij Cæsaris neptis marito deducunt, non dubitent cum Carolo Hasbano, in Ducatu Austrasiæ successorem scribere. Verùm receptior habet opinio, Pipinum Carolomanni filium primum fuisse, qui cum Imperio Austrasiam rexerit. Qua de re nihil hîc controuertimus : est enim historia illa propter vetustatem & hominum negligentiam admodum incerta. Adiungam tamen ipsius Molani hac de re verba: qui cùm incredibili quodam studio omnem eam historiam sit perscrutatus, ita in commentarijs rerum Louanienſium, libro ex XIV. primo notauit. Sunt, inquit, qui ante Pipinum Landensem multos recensеant Brabantiæ Duces, non obscuri modò scriptores, sed docti quoque indoctorum sequaces : quorum Ducum hæc est series, *Saluius Brabo*. obijt anno ante Christum natum 32. 1.
eum scribunt cum Sumniana Iulij Cæsaris nepte Louanij in templo Martis & Plutonis contractis nuptijs omnem Belgicam gubernandam accepisse, &c. *Carolus Brabo* filius, post Christum 2.

mortuus anno 40. Hunc vocant Ducem Thuringiæ, Regem
3. Colonienſium & Tungrenſium. *Iulius Brabo* anno 79. obijt:
4. eum dicunt Iuliacum condidiſſe. *Octauius Brabo* anno 125. Go-
5.6.7. *dardus Brabo* 172. *Godefridus Brabo* 209. *VVericus Brabo* 288.
8.9.10. *Artſardus Brabo* 335. *Marſiandus Brabo* 377. *Taxander Bra-*
11. *bo* 407. *Anſegiſius Brabo* 438. Chriſtianus. *Carolus Brabo fil.*
12.13. *Taxandri.* 460. *Lando Brabo fil. Caroli*, 478. *Auſtraſius Brabo*
14. 500. Cuius hortatu ſcribūt Clodougum Francū vouiſſe Chriſtia-
15. niſmum. *Carolus Naſo Brabo* 524. Cuius filiam ſcribunt ex
Haimone de Ardenna peperiſſe quatuor filios Haimonis, dictos
16. Teutonicè, De vier Heyms kinderen. *Carolus Hasbanus*
Brabo: eum volunt à Iuſtiniano Marchiam ſuper Scaldam impe-
17. traſſe. *Carolomannus Brabo* 615. Sunt alij multo modeſtiores,
qui Pipino 3. tantùm præponunt Brabones & Carolomannum
patrem. Quorum ſententiā Hadrianus Barlandus attigit in indi-
ce, quem præpoſuit hiſtoriæ ſuæ. [Et poſt pauca] Ceterùm ego
hæc omnia monſtroſa atque fictitia omiſi Brabonum nomina,
eo quòd, &c. [Addit præterea] Verùm cùm huiuſmodi Brabo-
nes doctis omnibus diſpliceant, placebit fortaſſè quibuſdam
catalogus à Wolfgango Lazio &c. conſcriptus in volumine De
gentium migrationibus, libro tertio, qui eſt de Cimmerijs [ſta-
tumque recenſet 18 Duces Brabantiæ vſque ad Pipinum Caro-
li magni patrem, initio accepto à Sunone orientalis Franciæ
Rege, filio Genebaldi, ex citato Lazij libro. Sed adijcit cenſu-
ram.] Hæc quidem, inquit, apud Lazium leguntur. Et noſtra-
tes ſanè non ignorant, S. Arnolphum & reliquos claros fuiſſe
in Belgio Duces; eoſque Pipinis, primis Brabantiæ Ducibus,
ſanguine coniunctos fuiſſe lubentes fatentur. Sed non alios ex
Franciæ Ducibus maiores noſtri ante Carolum Magnum Au-
ſtraſiæ inferioris, quæ poſtmodum Brabantiæ nomen accepit,
Duces agnoſcunt, quàm Pipinum de Landa, &c. Itaque vi-
derit ille quibus argumentis ſeipſum tueri poſſit: Ego ſanè ani-
maduerti, eum, quantumcunque doctus fuerit Hiſtoriographus,
dum hinc inde conatus eſt Brabantiæ Duces, Comites Loua-
nienſes, Marchiones Antvverpienſes in catalogos congerere,
multipliciter, quoad nomina, ſeriem, & genealogiam eorum
aberraſſe. Quod libenter ei ignoſco, qui amore ſuæ Auſtraſiæ
Danubianæ, conatus eſt Auſtraſiam inferiorem, ac potiſſimùm
in ea Comitatum Louanienſem, vnde illa enata eſt, ſcri-
ptis ſuis honorare. [Inde refutat errorem Lazij de Hermanno
& Henrico, qui primos ſe Brabantiæ Duces appellarint. Sub-
iungit c. 12.] Secundo, inquiens, loco fortaſſis quiſpiam mul-

tum

tum mirabitur, quare noua & interrupta serie aliquot intermedios Lotharingiæ Duces vsque ad Godefridum Louaniensem descripserim. Fateor me hîc aliorum semitas præterijsse. Sed si qui, ea considereret quæ ex Sigeberto & aliunde ad eorum confirmationem protuli, is non aliud animaduerteret opinor, quàm me non noua protuliſſe, sed vetera: nisi ea vocentur noua, quæ ignorata ex veterum scriptis renouantur atque illustrantur. Certè Hadrianus Barlandus, Chronica Brabantiæ Ducum contexens, non solùm maximam relinquit in serie Ducum fenestram, quando in Ludouicum Caroli Magni filium desinit, & à Godefrido demum Barbato catalogum resumit: sed & ignorantiam suam prodit, dum de hoc interstitio scribit. Quæ post Ludouici Principatum gesta sunt vsque ad tempora Godefridi Barbati Ducis, qui Brabanticam terram ab Arduennæ Principibus occupatam primus recuperauit, ea haudquaquam incorruptis rerum gestarum monumentis prodita, nec affirmare, nec refellere statui. [Alios deinde aliorum quoque profert in recensendis Brabantiæ Ducibus errores, in quibus discutiendis ita versatur, vt facilè ostendat summam sibi historiæ Brabanticæ cognitionem minimè defuisse. Cur verò sint qui à Godefrido demum Barbato Brabantiæ Duces exordiantur, quibus fauent epitaphia duo Louanij, alterum Henrici I. in æde summa D. Petri, alterũ in ecclesia Prædicatorum Henrici III., rationem adfert eos catalogum incipere ab eo tempore quo hereditarios Lotharingia Duces habuit: nam cùm vna nõ exigua Brabantiæ portio, Comitatus nimirum Louaniensis, seorsim antea possideretur, altera sub nomine Lotharingiæ à Cæsaribus conferretur (quod valde Imperio damnosum erat) Imperator tandem & reliquam partem Comitatui Louaniensi adiecit tempore Godefridi, atque ab vnionis huius anno primus integræ & restitutæ Brabãtiæ Dux fuit Godefridus eam ob rem vocatus etiam Dux magnus.]

Adiungam nunc ex eodem quoque Molano quæstionem capitis 14. libri primi rerum Louaniensium, Cur Brabantiæ Duces primo loco vocentur Lotharingiæ Duces? Quidam enim, inquit, arbitrantur eos hunc titulum habere à Lotharingia quæ est ad Mosellam, vt sit sine re titularis dignitas, quomodo qui Rex est Siciliæ, Regem se scribit Ierosolymorum, & Rex Angliæ, Franciæ, & contrà. Alij putant Lotrichum aut Lotrechtum fuisse apud Traiectum patriam Transmosanam aut Cismosanam, alij denique aliter ignorantiam suam profitentur. Vt igitur titulum hunc declarem, primò sciendum est sub Romanorum Imperio nullum fuisse in Germania secunda Ducatum.

Inter quos Theodorus Adamæus in Genealogia Ducum Brabantiæ.

tum. Nam Duces militares, quos labentibus Romanorum rebus Imperatores prouincijs præficiebant, quorum formulæ aliquot apud Cassiodorum lib. 7. exstant, perpetuo ac hæreditario munere non fungebantur, sed eos pro re nata magistratu se abdicare compellebant. Post Valentini verb tertij, ignaui Principis, principatum, occupata à Francis Germania secunda, Pipinus & successores eius dicti fuerunt Duces Austrasiæ. Tunc enim Brabantia nostra inferior Austrasia dicebatur, & ad regnum Austrasiæ pertinebat: postea à Lothario hoc Austrasiæ regnum dictum est Lotharingia, & regnum Lothariense. Vnde quotquot erant in eo vrbes, castra, monasteria, ea passim apud mediæ ætatis scriptores Lotharingiæ annumerabantur: hinc à Sigeberto scriptum est ad annum 871. Colonię celebrata Synhodus à tribus Lotharingiæ metropolitis, Luitperto Maguntino, Bertulfo Treuirensi, Willeberto Colonienſi, & ab Abbate Vrspergensi de Leodio scribitur. Ciuitas est Lotharingiæ B. Lamberti martyris patrocinio satis inclyta. Complectebatur, inquit Lazius, Lotharingia superior hodiernum Lotharingiæ Ducatum, Episcopatum Leodiensem cum Arduennæ, Luczelburgensi & Limburgensi Principatibus. Quibus nimirum finibus & Mosellanus Ducatus, & postea Palatinatus ad Sarram Hunsruckensisq. ditio celebrabantur: inferior verò Hasbaniam, Brabantiam ac Iuliacensem Geldrensemque Comitatus, nunc verò Ducatus, vt etiamnum distincti sunt, continebat. Quibus pariter finibus ante secula Boloniæ Ducatus & Louaniensis Comitatus ad famam venerant, quorum vetustior hic, cum Austrasiæ, tum Lotharici regni insigne vsurpabat, hoc est, albam sectionem in rubro clypeo. [Ex quibus Lazij verbis diligenter annotat Molanus, non ipsum solùm Pipinum de Landis (id quod ex antiquissimis diplomatibus eius constat) sed à sæculo etiam Ducatum Austrasiæ, eiusque Duces hoc insigni vsos fuisse, quo nunc etiam Louanium, Ducatus Austrasiani caput, atque ex eo orta Austria prouincia Danubiana, vtitur; clypeo nimirum rubeo, alba fascia redimito.] Postea cùm Imperium Lotharingos sibi subiugasset, peculiarem instituit eumque amplissimum Lotharingiæ Ducatum, qui postmodum tamen diuisus est in Ducatum Lotharingiæ, Teutonicè Lothrijck / in Ducatum Mosellanorum, qui nunc Lotharingia dicitur, & Comitatum Louanienſem. Itaque quando iterum Ducatus Lotharienſis & Comitatus Louanienſis in vnum Ducatus corpus coaluerunt,



luerunt, Brabantiæ Duces ab hac inferiori Lotharingia, quæ alio nomine Brabantia dicitur, nomen hoc acceperunt. [Et post pauca cap. 15.] Cùm autē Ducatus hic, ait, & à regno & à Regibus Lotharingiæ nomen suum habeat, non mirum est præponi titulum Ducatus Lotharingici. Solet verò magna huius Ducatus portio à mediæ ætatis scriptoribus dici Bratuspantium, Brachbantum, pagus Brachbantensis, & incolæ Bratuspantij, Brachbantiones, Brachbantenses, postea molliori nomenclatura dicti sunt Brabanti & Brabantini, ipsa verò ditio, Brabantia. Itaque Henricus 11. Dux Lotharingiæ & Comes Louanienſis, cùm Comitatus eius latissimè se extenderet, exemplo Comitum Hannoniæ, qui primò dicebantur Comites Montenses, à primaria Hannoniæ ciuitate, & postea à ditione tota Hannonienses dici maluerunt, titulum suum secundarium mutauit, & pro Comite Louanienſi scripsit Ducem Brabantiæ: quod paulatim ita increbuit, vt prior & dignior Lotharingiæ titulus in vulgari sermone sit obscuratus. Louanienses enim Brabantos se esse sciunt, sed si quis eos Lotharingos diceret, multi obstupescerent. Quam immutationem accidisse arbitror, quia hoc nomen etiam ad Ducatum Mosellanorum & totum Lotharingiæ regnum, quod Hannoniam quoque continebat, non sine æquiuocatione pertinere solet. Ita Molanus, adiungens esse distinguendum Brachatum, quo nomine olim ditio Alostensis significabatur, à Brachbanto Ducatu. Subiungit quoque Aquisgranum & Ducatum Limburgensem nunquam fuisse Lotharingiæ, sed Imperij semper, quæ tamen Duces Brabanti in tutelam iam olim receperint, adhibitis ad eam rem testimonijs non paucis. Hæc, inquam, atque alia complura ex intimis historiarum veterum penetralibus eo loco Molanus doctissimè recenset. Quæ si quis diligenter expendat, iam è multis difficultatibus exitum habet qui Belgicis Historiographis operam dat: nam cùm in hac regione, quæ nunc tota propemodum ad Brabantiæ Ducem deuenit, varij aliquando Duces fuerint, eos singulos eorum historici maximis congestis voluminibus dum nimium affectui tribuunt, ita illustrare conati sunt, vt suis scriptis omnem nobis veterem historiam eiusque fidem recentioribus, non dicam nugis & fabulis, eripiant. Quorum non difficile esset in exemplum aliquot producere, nisi inuidiam res ea potiùs quàm vtilitatem aliquam sit allatura. Sed nunc ad aliam quæstionem de nomine Austrasiæ reuertamur.

Austrasiam igitur, quæ à Lothario Rege Lotharingia postmodum est appellata, iam verò in varias diuisa prouincias, Brabantia,

bantia, Lotharingia quæ nunc dicitur, Lutzenburgo, Namurcensi, & Leodiensi patria ac vicinis ditionibus continetur, quidam ab Austrasio Tungrorum Duce, qui sub Childerico & Clodouæo Francorum Regibus vixerit, dictam existimant: id quod minùs mihi videtur verisimile. Arbitror ex eo potiùs sic appellatam, quòd Franciæ eius temporis regno ad orientem sit: nam & ex eo dictam esse Austriã Germanicam, historici produnt, quòd Imperium Germanorum eam versus orientem prospectet: cui etymologiæ tametsi Latina vox minùs conueniat, Germanica tamen nihil aliud significat: dicitur enim Oostenrijck / hoc est, regnum Orientale, id quod Latinis est Austria. Continebat verò Austrasiæ regnum diuersos sub se Principatus. Illa enim pars quæ circum Metim regni Austrasiani caput est, Austria Mosellanica; quæ verò inferior versus Tungros vlteriusque protendebatur, quæque nomen Hasbaniæ postmodum sortita est, non aliter quàm Moselandt vocabatur. Iam verò & Marchia Antuerpiensis non contemnendam habebat ditionem; & Comitatus Louanienſis, qui in amplissimum Brabantiæ Ducatum transiuit, sub Austrasiæ regnum cadebat, tametsi Louanienses è patre Hannoniæ Principe procreati, Francorum partes potissimùm sequuti, eorum subsidijs contra Imperatores niterentur: quæ de re suo loco. Interea tamen, quod in huiusmodi rebus per ætatem fieri solet, nomina limitesque Imperij sui, variè hactenus mutauit; vt, si quid in veteri historia de Austrasiæ regno subiectisque ei prouincijs legatur, ad temporis annotationem potiùs, Principumque genealogiam, quàm ad locorum nomina sit confugiendum, cauteque & non sine summo iudicio singula perquirenda.

CHRISTIANOS *Francia Reges exstitisse quibus Brabantia parebat*] Iucundam lectori gratamque existimo futurum narrationem, quæ de Francorum origine, è varijs non historicis modò, verum alijs quoque scriptoribus à quibusdam in commentarios refertur. Indo enim manifestum euadit, vnde Francorum Regi in Brabantiam vicinasque regiones iam olim ius atque imperium fuerit, simulque quàm nobilis & antiqua sit Principum patriæ huius nostræ successio: de qua narratione tametsi non apud omnes perinde certò atque indubitatò constet, maluimus tamen veterum hac in parte historicorum fidem ac tot passim coniecturas iudiciaque à vero non planè aliena sequi, quàm cum paucioribus quibusdam sine ratione in contrarium niti. Itaque Francos ex ipsa propemodum Brabantia oriundos, eosdem illos esse populos, qui vetusto nomine Sicambri dicebantur,

bantur, iuxta Saxones & Cimbros ad ostia Rheni habitantes, quique Rhenum transgressi, Galliam à Iulio Cæsare Romanorum Imperio subditam, multorum annorum continuis bellis sui tandem iuris esse fecerunt, in eamque transiuerunt, non dubium est. Id quod à Molano etiam cap. 1. indicatum, atque à plerisque historicis diligentissimè est annotatum. Vnde & illud à S. Remigio Clodouæum baptizante prolatum fuit, Depone mitis colla Sicamber, &c. vt mirum sit non defuisse qui id negare non vereantur: sed quoniam eam rem pluribus probare verbis præsentis non est instituti, loca adijcio, ex quibus colligi probatio facillimè queat. Videri itaque poterit Iustinus lib. 12. hist. quem secutus est Nauclerus vol. 1. generatione 57. Cæsar lib. 6. belli Gallici, Strabo lib. 7. vbi (Sugambros) pro (Sicambros) dicere eum vix mihi dubium est, qui omnes Sicambrorum meminêre. Vide etiam Panegyricum ad Constantinum, cui simile est Eutropius in Constantino, Panegyricus etiam ad Maximianum Augustum, Blondus decade 1. lib. 1. Meminit & Hieronymus Francorum in vita Hilarionis. Irenicus etiam German. exeg. lib. 3. cap. 76. Hunibaldo, qui tempore Clodouæi XVIII. de Francorum regno libros conscripsit, veritus contradicere. Gregorius Turonensis in eadem est sententia, Annonius quoque Monachus, quem alij Amoinum vocant, & Sigebertus Gemblacensis initio suæ historiæ Brabanticæ, Paulus Aemilius, Gaguinus, Munsterus in sua Cosmographia. Ad hos omnes accedit Lazius, Abbas Vrspergensis, Ado Viennensis, Andreas Monachus, & alij passim. Itaque cùm è sedibus suis egressi Franci, qui & Sicambri, Galliam inhabitare cœperunt, priorem tamen locum in sua potestate retinuerunt. Erat autem ille, vt ex ijs quos suprà citauimus historicis clarum est, ea patria, quæ Hollandiæ, Gelriæ, Frisiæ, & propinquarum regionum terminos habet, quo in loco vrbs regni caput Neomagium ab eis constructa fuit; quam cùm incolerent, & in Gallias paulatim imperium extenderent, primùm omnium eam, quæ nunc Brabantia est, terram occupauerunt, indeque progressi sunt, donec commutata regni sedes in Francia, quæ nunc appellatur, est constituta. Regnum verò Sicambrorum à Troianis ortum habere testatissimum est. Itaque vt ab ipso suo exordio, ac velut ab ouo ad Clodouæum vsque, qui primus eorum Christianus fuit, qui Franciam rexerunt, historiam eius deducamus: Post Troiam à Græcis decennali bello victam, Aenea, qui à clade supererat, in Italiam profecto, *Antennor* etiam qui Troianorum quasdam reliquias collegerat, incertus quo

Antēnor ante Christi natalem 440. ānō.

quo tandem loco quietem superi largirentur, post multa itinera ad Meotim paludem delatus est, ibique ad oram Scythiæ consedit, Scytha ob id à posteris appellatus. Quo in loco cùm à Gothis vicinis permanere prohiberetur, atque ob id sæpiùs vario cum eis marte pugnâsset, tandem in prælio occisus, *Marcomirum* filium habuit in regno successorem: qui cùm neque Xerxis Persarum Regis (cum quo societatem inierat) auxilijs amplius se quidquam contra Gothos incursantes proficere intelligeret, quàm Darij amicitia profecerat pater; oraculo consulto, ad Saxonum Regem legatos mittit, vacuum ab eis suis (quorum, exceptis seruis, 489360. erant capita) locum petituros. Saxo Legatis auditis, vt Gallorum, qui Rhenum transgredi contra Germanos non dubitabant, à se vires potentiamque auerteret, fines regni sui, qua parte Galliam respiciebat, Troianis libenter concessit. Itaque ad annum 433. ante redemtionem generis humani, mouent Troiani Marcomiro Duce ex Scythia in eum locum, qui circa Rheni Mosæque ostia incultus adhuc ea ætate permanebat. Germanis itaque non amicitia solùm, sed affinitate etiam iuncti Troiani, locum à Saxone datum, transmisso Rheno, vicinaque paulatim Gallia subacta, longè ampliorem fecerunt. Marcomiro autem anno 412. defuncto, regnum suscepit *Antenor* II. qui cùm mox vita functus Cambram vxorem ex Britannijs oriundam superstitem reliquisset, ipsaque prudentissimè rem gereret; Cambriæ regnum ex Troianorum imperio cœpit appellari, indeque Troiani Sicambrorum nomen feruntur accepisse, qui paullo anteà Saxonibus, quibus cum affinitatem contraxerant, **Neu magen**/hoc est, noui affines fuerunt nuncupati. Huic successit *Priamus*, sub cuius imperio lingua Troianorum vernacula, non Dubium Græca, Scythica tamen barbarie non parum infecta, in Saxonicam paulatim transiuit. Cumque vrbem nondum aliquam ædificassent, ille Regiam primus sibi constituit, quæ nomine, vt apparet, permixto, Neomagen à vicinis vocata fuit. Clarere cœpit hoc Rege Sicambrorum & nomen & regnum, vicina trans Rhenum & Mosam Gallia, suæ regioni adiecta, in quam & Colonias deduxit, Cimbrosque Romano bello celebres collocauit. Mortuo anno 356 Priamo, filius successit *Helenus*, qui inter cætera, etiam Mosam ponte stratum transgressus, Tungros, quorum ea ætate maxima erat potentia, sibi subiecit. Hoc tempore distincta fuit Sicambria in inferiorem & superiorem, quarum illam Cimbri è Sicambris eò deducti coluerunt. Helenus Rex cùm 19. annis imperasset, successorem habuit *Dioclem* filium, quo tempore cùm Gothi, qui & Getæ immensa pro-

Marcomirus 1. Cambrorū Rex.

In Sicambriā migrant Troians.

Antenor 2. anno 412.

Sicambri.

Neu magen.

Priamus anno 382.

Linguam mutant Sicābri.

Neomagium constructum.

Cimbri è Sicambria.

Helenus anno 356

Tungri subiecti.

Diocles anno 337.

si propemodum multitudine è Scandianis insulis progressi in Sicambriam irruissent ; illos Diocles, accitis Saxonum, Thuringorum,& Teutonum auxilijs,memorabili pugna strauit,qua vno solùm prælio è Gothis ad centum & amplius ; è Sicambris & socijs 25 milia hominum ceciderunt, desiderato Herimanno Thuringorum Rege. Gallos deinde magno numero cecîdit , Alexandrum Magnum in Sicambros irruentem fortiter excepit, vt est in Iustino lib. 12. & Nauclero gener. 57. Diocli *Helenus* filius, anno ante Domini nostri natiuitatem 298. substituitur : qui cùm ingenio stupidus atque animo degener esset, ideoque à Gallis acie victus, atque ab Alexandro etiam non parum attritus esset ; regno priuatus, *Basanum* fratrem habuit successorem : qui cùm 36. annis imperasset, mireque superstitioni deditus, cùm Hellegast propheta suo assiduus esset ; tandem, substituto sibi *Cleodomiro* filio, disparet, anno ante Christum 248. cacodæmonum versutia , vti Merodacus Sicambrorum historiographus Trithemio teste sentire videtur, de vita sublatus. Cleodomirus Gallos ad Mosam strauit, sedit annis 18. eius Filius *Nitanor* annis 34. Post eum *Marcomirus* 11. filius annis 28. Eum secutus est *Clodius*, cuius ætate Cimbri ex Danis, Sueuis, Norwegis, Teutonibus, Sicambris, Tungris, Aduaticis, Menapijs, collecta multitudine , Italiam inuaserunt : qui à Mario cæsi, triumphi Romano occasionem dederunt. Vndecimo post anno Sicambris præfuit *Antenor* 111. Clodij filius, qui vixit Rex annis 28. Inde *Cleodomirus* 11. qui Gallos Mosam transgressos regredi coëgit. Atque hoc 20. imperij sui anno vita functo, successit *Merodacus*, qui Cimbrorum Dux fuerat in Italijs. Is post cæsos à Mario Consule Cimbros, ab eo non parum fuit attritus. Præfuit annis 28. Successit *Cassander* : ei *Antharius*; quo Rege Iulius Cæsar Rheno ponte strato cum Sicambris non admodum feliciter bellum gessit. Moritur Antharius in pugna contra Gallos, anno ante Christum natum 27. regni 35. Succedit *Francio* filius natu maior, à quo Francos esse nominatos Troianos, qui iam & Sicambri & Neumagi dicebantur , omnino est verisimile. Is Gothos ab Augusto vt in Sicambros mouerent pecunia conductos vicit, Gallos cecîdit. Quod ægrè ferens Augustus, Drusum priuignum, qui satis feliciter rem gessit, contra eum misit. Druso defuncto, qui successerat Quintilius Varus, cum legionibus à Sicambris est interfectus: post quē Tiberius, Drusi frater, triennio cum Francis bellum gessit, qui eos sub Imperium Rom. adduxit. Obijt Francus anno ante Christi natalem primo. Post eum *Clogio* filius imperat annis 30. Is filium secundò natum Fri-

Getas vicit.

Gallos sternit.
Alexand. & Magnus.
Helenus 2.
298.

Basanus 284.

Cleodomirus 248.

Nicanor.
Marcomirus 2.
Clodius.
Bellum Cimbrorum in Italia.

Antenor 3.
Cleodomirus 2.
anno 131.
Merodacus anno .111.
Cassander.
Antharius.
Iulius Cæsar.

Francus à quo Sicambri dicti Franci.

Bellum Sicambrorum Rom.

Clogio anno ante Christū 1.

Frisones. Herimerus. sum littori maris Germanici præfectum dedit, à quo Hunibaldus Frisonum nomen deducit. Clogio filium *Herimerum* habuit successorem, virum impigrum, & in re militari non parum versatum: quo, anno regni sui 12. nimis audacter in medios hostes Gallos irrumpente ac cæso, *Marcomirus* 3. Herimeri frater, anno post Christum natum 32. regnat apud Francos, qui longè latèque per circuitum vicinos suos egregiè bello fatigauit. Obijt anno Christi 50. Sequitur eum *Cleodomirus* tertius filius, qui Gallis, & Romanis Gallorum patronis, multum negotij fecit. Moritur anno 64. Inde *Antenor* 4. qui ponte in Mosa constructo ad Galliam transiuit, eiusque magnam partem longè latèque vastauit: sed cùm insequentibus eum Gallis in patriam rediret, ponsque, quo Mosa transeundus erat, militum certatim transeuntium pondere grauatus corruisset, ipse ea suorum calamitate perculsus, simulque hostem à tergo instare sentiens, in flumen se cum suis coniecit, quod pleroscque natandi ignaros submersit. Anno regno 6. successorem habet *Ratherum* filium, hominem impigrum, & totis quibus imperauit 21. annis nunquam à bello vacantem. Nam cùm vicinos Gallos Franci, qui & Sicambri, haberent hostem perpetuum, illi verò à Romanis defenderentur, non cum Gallis modò, sed cum Romanis etiam pugnandum erat, qui hoc vnum agebant, vt Francorum regnum, si non delere, saltem coërcere à Gallis subditis infestandis possent. In quam rem ad ostia Scaldis & Mosæ plurima erant à Caio Iulio Cæsare ædificata castella, quorum celeberrimum Caia, quæ nunc Gandauum, à Caio Fabio equite Romano & viro strenuo defendebatur. Octauius etiam Germanicus, Caroli Inaci & Sundanæ filius, Agrippinam ab Agrippa auunculo in limite Francorum ædificatam regebat, Belgisque præerat: post cuius mortem cùm Belgæ à Romanis defeciissent, Carolus Brabo defuncti nepos ab Augusto Belgarum Imperium acceperat. Eius deinde filius Titus & Iulius, cùm, patre senescente, Romanorum in Belgica legati essent; Iulius quidem Iuliacum in ipso Francorum solo ad eos coërcendos ædificauit. Hostilia quoque Neruiorum à Torno Duce, ne latiùs in Gallias euagarentur, extrui cœpit. Granus deinde, Neronis fratris sæuitiem effugiens, extremas siluæ Arduennæ oras tuebatur: quo in loco cùm calidas aquas inueniisset, plures ad aquas Grani, siue à Grano inuentas accedentes, nomen & honorem loco fecerunt. Denique & Antonius, Senatorij ordinis Romanus, cùm Hollandiam, quæ tunc Batauia dicebatur, tueretur; Antoniam contra Francos vicinos condidit. ea vrbs postea Viltenburch, iam verò Traiectum ab incoli.

Marcomirus 3. post Christum ano 32.

Cleodomirus 3.

Antenor 4. anno post Christum 62.

Ratherus anno 68.

Caia nunc Gandauum.

Octauius Germanicus Agrippinæ præfectus.

Carolus Brabo.

Iulius Brabo.

Hostilia Neruiorum.

Tornus Rom. Dux.

Aquæ Grani.

Antonia, iam Vltraiectum.

incolis est appellata. Octauius quoque, qui Iulio patri in Agrippinæ Imperio succesſerat, in Francis & Saxonibus confœderatis domandis totus erat: ita vt nulla ætate, neque sæpiùs neque fortiùs à Francis pugnatum sit, quàm hoc Ratherij regno: in ipsis enim finibus suis contra Gallos & Romanos decertabant. Sepultus est autem Ratherus anno Christi 89. in vrbe quam suo nomini condiderat Raterdenia. Succedit *Richimerus* filius, quo Principe cùm Gothi in Saxoniam, more suo, potentiùs irruissent, à confœderatis Vindekindo Saxonum, Hermenfrido Thuringorum, & Richimero Francorum Regibus cæduntur. Quo facto, vt & ijs, qui è prælio fugerant, omnis in patriam reditus intercluderetur, simulque perpetuis eorum emptionibus obstaculum poneretur, è suo regno singuli multitudinem collectam atque permixtam contra Danos & Gothos, qui Scancianis insulis continebantur, munitionem futuram ad maris limitem interposuerunt. A quo collecto hominum cœtu, **Alleman/** nomen principium habere videri queat. Is porrò locus est, qui hodie Marchia Brandeburgensis nuncupatur. De quo plura quædam cùm ad Ottonē Magnum * in historia Molani erit perueniendum. Collectæ autem huic multitudini præfectus fuit Sunno filius Richimeri. Moritur Richimerus, substituitur *Odemarus* filius anno Christi 113. Princeps pacis admodum studiosus, nec mirum: nam cùm Traianus Imp. immensum pænè exercitum in Dacos Francis vicinos eduxisset, simulque Agrippina Romanorum præsidia contineret, non sine magno suo periculo in Gallos mouere poterat; quamobrem & fœdus cum ijs iniit, & pacem seruauit. Rexit annis 14. sepultus in Odemarsheim vrbe à se condita, in finibus Traiectensis diœcesis. Filium reliquit *Marcomirum* 4. qui sedit annis 21. Inde *Cleodomirum 4.* filium habuit successorem, qui post 17. annos mortuus, *Faraberto* filio regnum reliquit. Is nulla re memorabili gesta moritur anno regni sui 28. Christi nati 193. Sequitur eum *Sunno* filius, audax & bellicosissimus Princeps, cuius gesta ab Helligasto, eius ætatis Philosopho, metro Teutonico conscripta, in suos commentarios transtulit Hunibaldus. Succedit *Hildericus* anno Christi 221. per annos 40. Ei filius *Bartherus* substituitur, qui regnauit annis 18. Is, Decio Imperatore cum filio & exercitu à Gothis cæso, ac Gallo inerti Imperium Romanorum inuadente, à fœdere, quod cum Gallis parentes eius seruauerant, resilijt: quin & Gallis subiugatis, in Italiam penetrauit, ad ipsa vsque Rauennæ mœnia regionem omnem populatus. Inde senio confectus, iterum per Antharium filium Gallos deuicit. Post Bartherum

Raterdenia. Richimerus anno 89.

Alleman.

*Marchia Brandenburgensis. *cap. 31.*

Odemarus 113.

Marcomirus. Cleodomirus. Faraberus.

Sunno 193.

Hildericus. Bartherus.

Clodius. *Clodius* filius, qui annis 18. Sicambris siue Francis præfuit, vario sæpe marte cum Aureliano Imp. pugnauit. Eum secutus

VValtherus. est *VValtherus* filius, qui, nulla re memorabili gesta, moritur anno 8. Imperij sui. Inde

Dagobertus. *Dagobertus*, iustitia insignis & pietate, præfuit annis 11. Mox

Clogio. *Clogio*, quem Romani incautum oppressérunt. Hic cùm insigni temeritate in ipso pugnæ ardore in confertissimos hostes sese iniecisset; multis trucidatis, ipse quoq. interfectus est: cuius morte ne territi Franci fugam inirent, egre-

Cleodomiri stratagema. gio stratagemate eos Cleodomirus Clogionis frater delusit. Is enim indutus ex tempore fratris Regis armis, Regem se gessit: vt non priùs Clogio cecidisse crederetur, quàm victoria Franci potiti, Cleodomirum Regem pro Clogione salutarunt. Cecidit

Cleodomirus. Clogio anno regni 2. Succedit non filius, sed frater *Cleodomirus*. Quo Principe cùm inter Thuringos & Sueuos bellum esset exortum, Thuringi opem Franci implorant. Ea verò lege eis auxilia decernuntur, vt partem regni sui Francis in perpetuum tradant.

Franconiæ Ducatus à Cleodomiro institutus. Itaque Cleodomirus 7. regni sui anno fratrem Genebaldum cum 30 milibus familiarum Ducem creatum eò transmisit: cuius aduentu Sueui territi, ei negotium litis, quod cum Thuringis

Genebaldus Dux Franconiæ primus. habebant, decernendum committunt. Is itaque Genebaldus primus Franconiæ Dux fuit, cuius successores 414. annis floruerunt vsque ad Pipini Breuioris tempora, qui cùm maior domus Franciæ esset, vltimò huic Ducatui præfuit, post eum ad Episcopos Virciburgenses est translatus. Præfuit Cleodomirus

Richimerus. Francorum Rex Sicambriæ annis 18. Succedit *Richimerus* filius, qui deuictis Saxonibus, Gallis, & eorum patronis Romanis, demum à Gallis victus occubuit, anno regni 13. Inde

Theodomirus. *Theodomirus* anno regni 10. à Gallis obtruncatur. Sequitur

Clogio. *Clogio* Rex, vixit annis 18. Eius filius

Marcomirus. *Marcomirus* annis 13. Augustam Treuirorum Francorum Imperio adiecit. Fuerunt autem

Interreges Francorum. hi duo posteriores, Duces tantùm Franconiæ, non Reges, sed Interreges Sicambrorum: donec

Pharamundus. *Pharamundus*, Franconiæ Dux, Marcomiri filius, Rex electus est, anno Christi 419. Qui Wirciburgi Regio diademate insignitus, ingenti collecto exercitu

Franci relicta Sicambria in Galliæ transeunt. Francicam gentem, Rheno transmisso, & Vosagis montibus superatis, primus in Galliam transtulit. Verumtamen propter Gothos, quorum furori Honorius Cæsar Galliam Aquitanicam concesserat, vlteriùs nō est progressus. Moritur anno regni 7. vel vt alij, 11.

Clodius Comatus. conditus in Vosagis montibus. Pharamundo *Clodius Comatus*

Potentia Clodij. succedit anno Christi 426. Qui cùm animo maximus, & belli gerendi scientia non modicum præstaret, ingentem & ipse è Francis conflauit exercitum, Treuerim, Metim, Brabantiæque

oppida

oppida plurima expugnauit, omniaque quæ Franci antea Romanis victoribus in Gallijs perdiderant, recuperauit; Neruios, tametsi Romanorum auxilijs auctos, subiecit; Morinos, Cameracenses, Ambianos, Bellouacenses, omnesque circum regiones ad mare vsque Aquilonare, Occidentemque Sequanam & Ligerim, Francorum imperio submisit. Ceterum, Suessionibus obsessis, Phiso Clodij filius, sagitta traiectus, tanto dolore parentem affecit, vt mox ipse quoque febri defunctus sit, anno Domini 446. regni 20. Huic *Albero* filius succedere debebat; sed cùm propter ætatem adhuc minorem Meroueus ei à patre testamento tutor datus esset, ille Franciæ regnum inuasit; Alberone etiam fuga salutem quærere coacto, qui postea montibus Annoniæ ædificatis, & saltu Carbonario (quem Ardennam Leodio vicinam fuisse siluam, indicant ea quæ circunstant) sese tutatus est, Meroueo interea Francorum Rege; qui cùm Britannias Gallicas occupasset, cùm Aëtio Romano Galliarum præfecto, bello Hunnico contra Attilam gesto interfuit, sedesque Francorum in Gallijs latiùs extendit. Obijt anno Christi 457. Meroueum hunc quidam Clodionis filium nothum esse, quidam consanguineum, quidam militem virtute insignem, volunt. Successit *Childericus* filius per annos 27. Hinc *Clodouæus* Childerici filius anno Christi 485. vsque ad annum 514. de quo est primum in Molani libello caput. Is Romanorum, qui Suessionis etiam tum imperabant, potentiam planè deleuit, necato eorum Rege Siagrio, Aegidij (qui Childerici patris regnum nouem continuis annis inuaserat) filio.

Albero à Meroueo regno paterno ejicitur.
Montes Annoniæ.
Saltus Carbonarius.
Childericus.
Cladouæus.

Ita Franci, qui & Sicambrorum ac Neomagensium Reges, cùm paulatim Galliam omnem, Rhenum transgressi, occuparint (id quod præcipuè factum est Clodio Comato Rege, qui Valentiniano imperante Francis præfuit) non eam modò quæ nunc Francia dicitur, sed inferiorem quoque hanc, siue Gallorum, siue Germanorum regionem, eamque potissimùm & ferè solam adhuc occupabant. Itaque Regibus Francorum Brabantiam pluribus seculis paruisse, eosque ad eius limites sedem regni Neomagium habuisse, ex antiquitate docemur. Leguntur autem sub his Francorum Regibus aliquot posterioribus nominatim Brabantiæ Duces; qui fuerintne à Troianis Sicambris ad regendum prouinciam constituti; an verò (vti quidam arbitrantur) è Tungrorum regno, quod Sicambrico etiam antiquius est, fuitque postea Lotharingiæ inferioris nomine appellatum, sint orti, non vsque adeo certum mihi est. A Troianis quippe Sicambris impetitos sæpe Tungros, cæsos eorum Reges, nun-

quam tamen penitus esse deletos, quin & à Romanis contra Sicambros defensos, postea verò & confœderatos Francis lego. Permanserunt sanè Tungri ad tempora vsque Clodij Comati, nunquam à Troianis victi penitus atque deleti. Quam ob causam cùm è Sicambria in Gallias moverent Troiani, non per Tungros, quod rectum erat iter, sed coniunctis in Franconia viribus, per Alsatiam & Mediomatrices irruperunt. Hoc adsero, Francos, Sicambros, Neumagos, seu Troianos dicere mauis, non Sicambriam modò, sed & Franconiam Thuringiæ partem & Brabantiam (vndecunque illa sic appelletur) vicinamque regionem possediisse, tametsi id quod in Gallia Belgica imperium habuerunt, ad ætatem vsque Clodij Comati valde instabile & varium fuerit. Quo Principe in Belgium, atque eum, qui nunc Francia dicitur, locum transiuerunt. Neque me latet, quòd à Saluio Brabone, Caroli Brabonis patre, de quo est in Ratherio Rege mentio facta, quidam Brabantiæ Ducatum per multos successores deducant: verùm quid ea de re Molanus sentiat, in Præfatione indicauit. Putarem huiusmodi Brabones, & eorum successores, Romanorum tantùm fuisse Tribunos, Francorum postea socios & milites. Hæc itaque de Imperio Sicambrorum, cui ab annis propemodum nongentis Clodouæi ætate, ex parte subiecta fuerat Brabantia. Nunc ad historiam capitis primi.

AD CAP. 1. MOLANI.

IS Princeps sine dubio Brabant.] Quale, & vnde in Brabantos Imperium habuerit Clodouæus, iam satis arbitror esse demonstratum. *Valentiniano namque.*] Factum hoc est sub Clodio Comato Francorum Rege, vti suprà dictum est.

Qui è regia Burgundionum stirpe.] Clotildis filia Chilperici Burgundionum Ducis, à fratre Gundobaldo cum vxore necati, spectatissimæ formæ puella fuit: quam Clodouæus indotatam vxorem rogauit, ipsaque ea lege consensit, si Christianum se fore sponderet; id quod ab eo, vti promissum, ita præstitum postea non fuit: quin & Gundobaldum tanquam fratricidam sedibus expulit, regnumque eius suo Imperio adiecit. Quamobrem cùm secundò Christianum se fore Clodouæus vouisset, multum sollicita Clotildis, cumque ea S. Remigius Remorum Episcopus, hominem ad fidem denique suscipiendam induxerunt. *Cum Alarico*] De pugna Clodouæi cum Alarico, quem propria ipse manu dicitur confeciisse, ita ab alijs annotatum est: Clodouæum occidisse Rancharium, Alberonis Sicambri fratrem,

Clodij

Clodij Comati filium, alioſque ex eadem familia quàm plurimos, vt ſecuriùs regnum Francorum ad poſteros ſuos tranſmitteret, neque eſſent, qui ſuum id eſſe, ſibique deberi quererentur. Eamque ob cauſſam etiam Alaricum eius affinem & ſocium ſubiugaſſe. Vt vt ea ſe res habeat, cōſtat Alaricum Arrianum fuiſſe, vt hanc fuiſſe belli cauſam cum Annonio faciliùs exiſtimem.

AD CAP. II.

BELLVM cum Cochlanico, Cochilanico, Cochliario, vel tandem, vt alij, Clothilario Danorum Rege, Theodebertus Auſtraſiæ Rex Theoderico patre adhuc viuente ſuſcepit, ideoque ad Theodeberti hiſtoriam à pleriſque reijcitur. Theodericus autem fuerítne ex Clothilde Clodouæi filius, an ex pellice nothus, vti quibuſdam placet, parum intereſt.

Marchionatum] Vide infrà ad caput 8.

AD CAP. III.

REPOSCENS *ab Ermenfrido.*] Thuringorum, qui & Sorabi, Rege. Is cùm duos haberet fratres Badericum & Bertharium; hunc quidem nihil ſiniſtri cogitantem oppreſſit, illum verò cùm non tam facilè poſſet, Theodericum in auxilium aduocat, cuius ope eum quoque confecit. Tum fratricida Ermenfridus fidem Theoderico datam violat, obſides occidit, & promiſſam, ſi vinceret ope Theoderici, regni fraterni ſemiſſem negat; totaque ſubacta Thuringia, in Theodericum copias ducit. Thuringi verò, quorum adhuc hodie regio in Germanijs eſt, affines erant ac ſocij Francorum. Erat enim Baſina Thuringiæ Regina, mater Clodouæi: & Franci, à Thuringis iam olim contra Gothos in auxilium vocati, partem regni eorum occupabant, eiſque neceſſitudine ſumma & amicitia iungebantur.

Almaricus Rex Viſigoth.] Erat is Alarici à Clodouæo peremti filius; qui patre defuncto è Gallijs fugatus, Hiſpanias & Vaſconiæ partem retinuit. *Fugato Godemaro.*] Gundobaldi, de quo cap. 1. filio, contra quem eo nomine pugnarunt, quòd pater eius, Clotildis matris ſuæ parentes occidiſſet. *Auus eius Theodericus.*] Auus maternus Athalarici nati ex Amalaſiuntha filia Theoderici Italiæ Regis, & Euſtachio Alemanno. Cæſus eſt ab hoc Theoderico, Oſtergothorum in Italijs Rege, Boëtius, nobilis ea ætate Philoſophus.

AD CAP. IIII.

SIGEBERTVS *Rex.*] Auſtraſiæ, Metis regni ſedem habens. *Hunnos partes.*] Hunni gens barbara, proprijs ad Meotim paludem relictis ſedibus, duce Attila Rege ſuo omnem Galliam, Italiam, Germaniam, Thraciam, Conſtantinopolim

vsque sunt pernagati. Qui cùm ab Aëtio Romanorum in Gallijs præfecto in campis Catalaunicis propemodum deleti, in patriam reditum parare crederentur, conuerso itinere in Italiam irruperunt; iamque de Roma occupanda cogitantes, à S. Leone Pont. in Hungariam, ab Hunnis sic dictam, sunt relegati, vbi Attila nimia se potatione occidit, ad annum 457. *Duces Longobardorum.*] Longobardi à barbarum longitudine nomen habent. Populus ex Cimbrica Belgarum peninsula oriundus, à Narsete ad vindicandam iniuriam quam à Theodora Iustiniani Imp. coniuge acceperat, in Italiam euocatus: ad tempora vsque Caroli Magni regnauit, qui ditiones eius, exulare iusso Desiderio Rege, Imperio suo adiecit.

AD CAP. VI.

PIPINVS *Carolomanni.*] Tungrorum & Brabantiæ Ducis, vti à plerisque annotatum est; qui cum Childeberto sæpius contra Longobardos fortiterque pugnauit, Clothario Regi carus. Hinc Pipinus in antiquis quibusdam diplomatibus legitur Dux Hasbaniæ: & Sigillum eius insignitur fascia & cruce; quæ hodie Hasbanis insignia tribui solent. Qua ætate Arnulphus Dux Austriæ Mosellanicæ florebat. *S. Arnulphus.*] Ex matre à Clothario, quem alij Lotharium, Rege; ex patre à Clodio Comate genus ducit. Eius stemma, simulque eorum, de quibus toto hoc libello agitur, Principum genealogiam adiecimus ad finem harum Notationum. *Cuniberti Episcopi.*] Colonienſis, qui Dagoberto à consilijs erat.

AD CAP. VII.

IN *Aula Sigeberti.*] Regis Austrasiæ: qui tametsi ætate minori, patre tamen suadente, Clodouæo fratri Franciæ regnum permisit, Austrasia contentus. *Hildebertum adoptauit.*] Hanc adoptionem, defuncto Sigeberto, tanta vi tutatus est Grimoaldus, vt Dagobertum Sigeberti filium tonsum in Scotiam relegarit. Sed à Clodouæo Francorum Rege, Sigeberti fratre, victus; captusque est Grimoaldus, & Austrasijs Childericus, Clodouæi filius, Rex datus.

ANSEGISES.] Alij Anchises, Anchigises, Ansgetiam, filius Arnulphi, frater Cleodulphi Mosellaniæ Ducis.

Begga.] filia Pipini à Landis, & S. Ittæ, Grimoaldi & S. Gertrudis soror, cuius ratione Ansegises Grimoaldo successit.

Marchio Antuerpiensis.] Alij Clodulphum fratrem, tanquàm filium seniorem, Marchionem faciunt. Est autem de Marchionatus Antuerpiensis institutione non exigua inter historicos controuersia: alijs à Iustiniano Imp. contra Danos Ausberto datus

esse

esse placet; alij eum ab Vtilone Theodonis filio, Bauariæ Principe, institutum dicunt. Aemilius ab Ottone 2. Imp. eius originem ducit, inque dotem datum fuisse Gerbirgæ scribit. Alijs aliud placet. Fusè de eo negotio Molanus libro primo rerum Louanienſium, cap. 17

Ad cap. IX.

Pipinvs II] Anſegiſi ex Begga filius. *Regis Theodorici tyrannidem.*] Theodoricus Clotharij 3. Francorum Regis filius, Childerici 2 Regis frater, Clodouæi 2. nepos, Dagoberti pronepos. Hic cùm Ebroinum, ſeditioſum hominem, Palatij ſui Maiorem feciſſet, iſque in Epiſcopos ac ſubditos paſſim inclementer ſæuiret; à Pipino & Martino cognatis, ex Cleodulpho & Anſegiſo fratribus procreatis, contra eum pugnatum eſt. Verùm Ebroinus victor à ſatellite quodam Martini proditione cæſus eſt. Qua de re cùm Pipinus & Martinus Auſtraſiani apud Theodoricum inſuper conqueſti fuiſſent, ille contumelioſè reſpondens, ab eis prælio victus eſt. Indeque Pipinus Franciæ quaſi Regem egit, Theodoricum voluptati deditum regens.

B. Lambertum.] Traiectenſem Epiſcopum, nota eſt paſſim hiſtoria.

Ad cap. X.

Ex *Alpaide.*] Pellice, quæ fundauit Canonicos & Eccleſiam Hugardienſem. Eum Plectrudis vxor legitima Pipini, viro defuncto, carceri manciparat, quòd indignum putaret filium ancillæ hæredem ſcriptum, Theobaldo nepote prætento. Sed Martellus, rebus paullo pòſt mutua Chilperici & Dagoberti cæde turbatioribus, aſtutia ſua dilabitur è cuſtodia, moxque conflato exercitu rem Francicam in quietiorem deduxit ſtatum, ac de Plectrude egregiè ſeſe vltus eſt. *Valle Carbona.*] Alij Corbaria, neſcio an Narbona potiùs legendum ſit, aut Carbonaria.

Tantùm legatione miſſa.] Luitprandus Carolo Martello compater, cum eo aduerſus Sarracenos fortiſſimè pugnauit, eiuſque filium Pipinum, Francorum poſtea Regem, apud ſe detinuit, capillumque pro ſacrorum more ſuccidit, ob eam rem eximiè Martello carus: poſtea quoque Pipinum multis donatum muneribus ad patrem in Gallias remiſit. Vir eximiè, vti pleriſque viſum fuit, Catholicus: hoc vno tantùm culpabilis, quòd regnandi cupiditate Romam obſederit, à qua mox Caroli Martelli precibus diſceſſit; quin & ſponte Narniam & Anconam Zachariæ, Gregorij III. ſucceſſori, reſtituit, multaſque eccleſias de ſuo conſtruxit.

AD CAP. XI.

CAROLVS Martellus moriens, Carolomannum & Pipinum reliquit hæredes, neglecto Grifone filio: qui eam ob rem ad arma concurrens, à fratribus victus, & carceri mancipatus, tandem à Pipino libertati restituitur.

AD CAP. XII.

Depoſito Childeberto.] Pro maiori intellectu præcedentis historiæ, visum fuit annotare, à Merouæo ad Childebertum hunc vsque, Francorum Regum successionem. Ea verò ita se habet:

Merouæus, ejecto Aberone Clodij Comati filio, Francis imperat, cui succedit	Childericus Franciæ Rex. ei	Clodouæus de quo c. 1. vxor Clotildis c. 1.	Childebertus Clotharius Clodomirus Theodericus c. 2.
Chilpericus Cherebertus Gunttamnus Sigebertus c. 4.	Clotharius 2. c. 5.	Dagobertus c. 6.	Sigebertus Rex Austrasiæ c. 6. Clodouæus 2.	Dagobertus c. 7. Clotharius Childericus Rex Austrasiæ.
Theodericus c. 9. Childericus	Clotharius 4. Rex Childebertus 2. Rex Clodouæus 3. Rex.	Dagobertus 2. Rex Chilpericus 2. Rex.	Theodericus 2. Rex. Childebertus Rex c. 11.

Hoc Childeberto depoſito per Zachariam Papam, & Pipino in Francorum Regem consecrato per Stephanum eius successorem, defecit stirps Merouæorum, & Duces Brabantiæ ex maioribus domus, Magistri equitum, inde Reges Franciæ, mox Imperatores Occidentis creati, ad Carolum vsque Brabantiæ Ducem Franciæ præfuerunt; cuius filio Ottone defuncto, ad Lambertum Louanienſem Comitem Imperium Belgicum ratione Gerbirgæ vxoris, filiæ Caroli, transiuit, id quod clarissimum erit ex genealogia Ducum Brabantiæ, ad finem notationum adiuncta. *Nouamq; isthic Auſtriam.*] Austria dicta ab eo quòd ad Orientem Imperij, quod tunc Francicum esse incipiebat, ditionem terminaret. ea est significatio nominis Germanici, vti circa Præfationem suprà dictum est: vbi Austriam quoque Mosellanicam, à Mosella amne (cui adiacet) dictam, eadem ratione interpretati sumus; quod an rectè factum fuerit, æquo lectori iudicandum committimus. Certè non videtur aliam commodiùs recipere interpretationem nomen Germanicum Austriæ nouæ, de cuius initio agitur hoc cap. 12.

VVaifarius Dux.] Alij Gaiferum legunt: cuius tanta fuit potentia, vt nouem prælijs non infeliciter Pipinum exceperit donec

donec tandem in acie cæsus, victoriam Pipino reliquit. Endonis fuisse filium lego. *Contra Tassilonis Ducis defectionem.*] De quo postea triumphauit Carolus Magnus, Pipini filius.

AD CAP. XIII.

Bellum contra Longobardos.] Hoc bello regnum Longobardorum, quod in Italijs 232. annis perdurauerat, finem accepit; Italia Francorum Imperio & Pontificijs ditionibus adiecta.

Abotritos] Abrotini, item Abrettini, Mysiæ sunt populi, qui significentúrne nomine Abotritorum, non satis mihi certum est.

Ductu Caroli iunioris.] Habuit Carolus Magnus tres filios, Carolum, Pipinum Italiæ Regem, & Ludouicum Imperatorem: eorum Carolus cum Bohemis pugnauit. *Nordmanni.*] Populi Septentrionales, id quod nomen ipsorum significat, à Carolo Magno sæpius bello tentati, subijci nunquam potuerunt; quinimo collectis paucis nauibus piraticam exercentes, cùm eximiè ditati fuissent qui se huic rei dederant, plures postea, maiori collecta classe, in Franciam soluerunt, Belgium omne, vicinamque Franciam, Pictones, Turones, Andes, Nanetum, aliaque complura deprædantes: tandem à Carolo Crasso, regni partem, in quo confiderent, acceperunt; ab Arnulpho postea Imperatore ad Louanij castrum omnes deleti. *Erutis oculis.*] Leo 3. Papa Romanus, vir sanctissimus, à Paschali Primicerio, & Campulo presbytero, dum supplicatum iret, captus, ita virgis cæsus fuit, vt nec oculi ei nec lingua reliqua esse putarentur, atque ita in monasterium ab eis detrusus: ex quo tamen erumpens, auxilio Spoletini Ducis eductus Spoletum ad Carolum Magnum contendit. Qui non multo póst Romam, Leonis causam cogniturus, accessit; & Concilio coacto, singulorú, quos euocauerat, Episcoporũ sentẽtias rogare cœpit. Qui cùm respondissent, Romanum Pontificem à nullo Iudice, nedum laico, iudicari debere; Carolus Leonem, tactis Euangelijs innocentiã suam testatum, insontẽ habuit, aduersarios morte puniturus, nisi Leonis oratione vitã eis permisisset. Inde in Imperatorẽ maxima populi Romani cõgratulatione coronatus est.

AD CAP. XIV.

POSTEA *pater.*] Pipini Regis Italiæ, videlicet Carolus Magnus.

AD CAP. XV.

Theodosij Augusti exemplo.] Theodosius Magnus Imp. cùm Thessalonicæ contumeliosè acceptus, ibique præfectus ciuitatis tumultu populari interfectus esset, equestre certamen indixit, populumque, qui ad theatrum confluxerat, armato milite circundedit, atque ad quindecim hominum milia trucidauit. Inde cùm Medio-

Mediolanum profectus esset, grauiter à B. Ambrosio Mediolanensium Episcopo obiurgatus fuit: quin & ab ingressu Ecclesiæ repulsus, ad publicam pœnitentiam agendam sese conuertit. Publicam autem pœnitentiam solenniter agentes, ab Episcopo in die Cinerum è templo eiecti, in cinere & cilicio ante fores prosternebantur; nudis pedibus, vultu demisso, capillitio raso, intrantium preces exorabant, donec feria quinta in Cœna Domini Ecclesiæ conciliarentur. Verùm ea erat non publica solùm pœnitentia, sed & solennis. Nam publica quælibet est, quæ in publico fit, & coram hominibus, vt flagellatio sui ipsius, & similia; quæ non iniungebatur, nisi pro scelere quod publicum erat, multisque offensam dabat. Eam itaque, non solennem illam, Ludouicus Imp. pro ijs quæ publicè peccasset, exemplo Theodosij dicitur subiuisse. *Bernardum Italiæ Regem.*] Ex fratre Pipino nepotem, cuius mentio fit cap. 14. quem captum primò luminibus, mox etiam vita priuauit.

AD CAP. XVI.

CONTRA *Sorabos.*] Sorabi, vt gens, ita & nomen peruetustum est eorum populorum qui postea Thuringi dicti sunt: quorum tanta olim fuit potentia, vt proprium habuerint Regem, qui ad Mœnum vsque in Francoma dominabatur. Sed cum inter eos, & eorum confines Sueuos, perpetuæ essent dissidiæ; Francos ex inferiori Germania, in qua tum considebant, euocatos, collocarunt in pago Herpibolensi, qui inter sese & Sueuos medij essent. Itaque à Francis paulatim Thuringorum potentia est diminuta, & anno 524. regnum eorum à Regibus Franciæ sublatum. Metropolis autem Thuringorum est Erfordia. Tempore Lotharij 2. fuit Thuringia sublimata in Landtgrauiatum. Ita Munsterus Cosmograph. vniuers. lib. 3. Vide ea quæ diximus in Regibus Sicambrorum, sub Cleodomiro Rege.

Quid tunc Luodouicus egerit.] Lego in quibusdam historijs, Ludouicum Nordmannos ad Christi fidem perduxisse: &, vt tutiores ab infidelibus essent, Frisiam illis incolendam dedisse. De quo quid sentiendum sit, ex sequentium aliquot capitum historia facillimum est intelligere.

AD CAP. XVII.

DICTVS *Germanicus.*] Ex eo nimirum, quia ipsi in diuisione hæreditatis paternæ obuenerat regnum Germaniæ & Hungariæ: sedem verò regni habuit apud Bauaros.

AD CAP. XIX.

LVDOVICVS *Imp.*] A Sergio Romano Pontifice in defuncti Lotharij patris locum substitutus, Lotharij fratris sui auxilio

auxilio Beneuentum ab Agarenorum seu Sarracenorum obsidione liberauit. Cuius vrbis Dux Adalgisus cùm postea defecisset, Imperator contra eum potentissimum exercitum duxit. Eam ob rem Adalgisus obuiam Ludouico profectus, veniam impetrat. Ciuitates quæ cum eo defecerant, minimo negotio sunt recuperatæ. Sola Capua, cùm mœnibus fideret, ad desperationem tandem obsessa peruenit. Itaque Capuenses Episcopum rogant, vt solenni pompa S. Germani corpus ad Imperatoris castra deferens, veniam delictorum impetrare conaretur; id quod ab eo confectum fuit. Mox Ludouicus Adalgisi suasu (quòd prouincia omni subacta nihil copijs opus esse prædicaret) exercitum dimisit, ipseque cum paucis Beneuenti substitit. Qua rei gerendæ oblata occasione, Adalgisus Ludouicum in somnis adortus, in verba sua iurare coëgit, se nũquam in Adalgisi ditiones rediturum. Quam ob rem missa Imperatrice de coniuratis supplicium sumsit.

Ad cap. xx.

Lvdovici fratris sui] Ludouici Germanici, de quo c. 17.

Atroces Danos.] Nordmannorum auxiliares, qui piratica classe intima etiam Franciæ loca vastabant : contra quos Theodorico Phrisio concessa est Hollandia, titulo Comitis.

Flandria qua paucis, &c.] Ad eam vsque ætatem Flandria, siue à Flandrina Lyderij Herlebecani coniuge; siue à Flamberto nomen acceperit ; vix vllos habebat incolas præter Morinos : tota namque densissima silua Carbonaria, quæ pars erat Arduennæ, continebatur. Primus legitur Carolus Imp. Magnus littori Flandrico (credo propter incursiones Nordmannicas) Lyderium Harlebecanum præfeciſſe, eique nemoris curam tradidisse, vocasseque Saltuarium. A quo tempore sublatis arboribus viæ sterni, ciuitates condi, & coli regio illa cœpit. Tertius post Lyderium Balduinus egregij roboris Princeps, vt ferreus inde etiã vocaretur, post multa fortiter abs se gesta, Iuditham Edulphi Regis Angliæ viduam, Caroli Calui filiam rapuit, & vxorem duxit. Inde cum coniuge Romam profectus, à Nicolao 1. Papa veniam obtinuit. Pacatus etiam Iudithæ precibus Carolus pater, Comitis eum dignitate exornauit. Ex hoc Balduino nati sunt multi fortissimi Principes, de quibus ad cap. 48 *Hoc V Vitichindo Procreati censentur.*] Witichundus iste è Saxonia profugus in Franciam venit, ibique sub Carolo Caluo militauit; ac re bene gesta Andium Comes effectus est, tametsi plerique non Saxonem, sed Thuringum fuisse è Franconia natum, scribant. Genealogiam eius vsq; ad inuasorem regni Francici Hugonem, vide ad cap. 24.

A D

AD CAP. XXI.

IOANNES *Pont.*] Nonus, patria Romanus, qui Caluum coronarat. *Iniurijs quorundam.*] Carolus Crassus & Carolomannus, Ludouici Germanici filij, defuncto patruo suo Carolo Caluo, Italiam inuaserant, Imperatoriam dignitatem ab Ioanne petentes: quam petitionem vrgebant Romani, fratres Germanos ad Imperium euocantes. Ioannes, Ludouicum Balbum eis dare conatus Imperatorem, captus in vincula conijcitur. E quibus amicorum arte dilapsus, ad Balbum in Franciam secessit, eumque Imperiali diademate donauit. *Ad quod iter dum se parat.*] Moritur Ludouicus, Agarenis in Italiam irrumpentibus: quibus cùm Carolus Crassus fortiter sese obiecisset, atque Italia eos expulisset, à Ioanne Papa in defuncti Balbi locum Imperator est constitutus, vt est cap. 25.

AD CAP. XXII.

PRIMI *ei obtigerunt.*] Carolo Simplici pater testamento tutorem scripserat Odonem, de quo cap. 24. Sed is à Germanicis fratribus Ludouico & Carolomanno regno abstinere iussus, sub Arnulpho tandem Francis præfuit; interea Franciam regentibus tribus Ludouici Germanici filijs.

AD CAP. XXIII.

IN tanta Nordmannorum persecutione dolendum est non defuisse Principes Catholicos qui eis ad bella cædesque fenestram quasi aperirent. Nam cùm Crassus Godefrido alteri Nordmannorum Duci Aegidiam Lotharij Regis patruelis filiam collocasset, eoque coniugio data in dotem Phrisia, pax firma certaque futura videretur; Hugo, Aegidiæ ex Valdrada pellice frater, Lotharingiam inuadit. Verùm quòd se imparem Crasso non ignoraret, partem Lotharingiæ Godefrido sororio, tanquam quæ dotis nomine deberetur, tradit: persuadet etiam vt stipendia ab Imperatore exigat. Quæ si negarentur, non dubium fore putabat, quin ex socio hostis Crassi Nordmannus efficeretur. Itaque Crassus, artem Hugonis sentiens, Godefridum ad se venientem obtruncat, Hugonemque mox interceptum luminibus priuat. Quo facto, Nordmannorum in se furorem concitauit, quos, nisi Nordmannia regni Francici parte data, placatos sibi reddere non potuit.

AD CAP. XXIV.

QVARE *Ottone deprecante.*] Quem Ludouicus Balbus testamento tutorem filio suo nominarat. Erat autem Comes Andegauensis vnico seruo contentus, atque è Franconia, quemadmodum & auus Witichindus, profugus. *Donec Ruperti posteritas*

ferit at.] Hugo Capetus regnum Franciæ, postposito Carolo Lotharingiæ Duce, de quo cap. 38. qui patruus erat vltimi Franciæ Regis, inuasit: à quo ad Vitichindum vsque talis est successio.

Vitichindus Saxo è Germanijs profugus c. 20. { Robertus Comes Andegauensis c. 24. { Odo tutor Caroli Simplicis, Gubernator regni Francici. c. 24. / Rupertus Comes Parrhisiensis c. 24. }

Hugo Magnus { Hugo Capetus 1. Rex Franciæ { Robertus ante obitum patris Rex dictus, ne difficultas eo mortuo oriretur. { Henricus &c.

Balduino Flandriæ Comite.] Is est Balduinus dictus Caluus, ex nomine aui materni, Balduini ferrei primi Comitis filius, vide genealogiam ad cap. 48.

AD CAP. XXV.

ARNVLPHVS iste, filius erat nothus ex Carentana nobili formæque spectatissimæ femina, Carolomanni Bauariæ Regis, fratris Caroli Crassi, filij Ludouici Germanici, corpore robusto, & Regiam Maiestatem præferente, litteris instructus, & probè admodum Christianus. *Pacem iniit cum Bohemiæ Rege.*] Erat Rex ille Bohemiæ Arnulphi ex pellice filius, vocatus Zuetenbaldus vel Zuendenbulchus, quem pater Arnulphus postea Lotharingiæ Regem fecit, ipseque se etiam Regem Franciæ haberi voluit, ac cum Odone, de quo cap. 24. bellum gessit, donec tandem à Ludouico 2. Franciæ Rege meritò cæsus est.

Afflictus à minutis vermibus.] Est in historia Arnulphi, ipsum mox vbi coronatus à Pontifice Romano fuisset, Guidonem, qui Berengario Longobardiæ regnum nuper eripuerat, fuisse persecutum: qui cùm Camerinum fugisset, Cæsar vrbem obsedit. Vxor Guidonis, vt ingenio erat ad quidlibet audendum propenso, aulicum quendam Arnulphi multis muneribus sibi conciliat, euadendi copiam ab eo petens: qui cùm id, nisi proderet ciuitatem, effici posse negaret, proditionem promittit. Interea furorem Cæsaris vereri fingens, poculum se habere dicit, quo animi sæuiores ad iocum & lætitiam reuocarentur: hoc aulico tradit, Cæsari, qui homo erat admodum sæuus, porrigendum; ac, ne subesset suspicio, in mente capto quodam famulo suo rem experitur, qui pharmaco sumto, mox more suo in cachinnum prosilijt. Aulicus itaque muneribus acceptis, Arnulpho poculum propinat, vt eius feritatē demulceret. Cæsar verò epoto pharmaco, veluti papauere immodicè sumto, somno se-

pelitur

pelitur tam alto, vt nullo posset strepitu excitari; tum verò expergefactus nil aliud quàm mugitum pecoris more edere, ac toto corpore tabescere, à pediculis denique corrodi cœpit, atque ita mortuus est.

AD CAP. XXVII.

LVDOVICVS sine liberis decessit. Itaque Ottone Saxone, qui maximè videbatur idoneus, ætatem excusante, in Imperatorem eligitur Conradus Franciæ Orientalis seu Franconiæ Dux, tanquam animi & corporis robore præcipuus, Ottone tamen summam rei gerente, cuius etiam filius Henricus Auceps Conrardo successit.

AD CAP. XXVIII.

INTESTINAS & domesticas habuit turbationes.] Carolo enim, regnum inire volenti, oppositit se Robertus, Ottonis, de quo est cap. 24. frater, Nordmannorum fretus auxilijs: quem tamen Carolus Flandri, Germani, & Lotharingi copijs vicit; qui cùm in acie cecidisset, Carolus tamen victor tanquam victus cum Heberto Veromãduorum Comite, Roberti cognato, seu Heriberto (vt alij) hostium Duce, pacem inire voluit: qui eum pacis componendæ prætextu ad se venientem comprehendit, & Paronam adductum in Rodolphum Burgundum ius regni cedere coëgit; ibique carceribus aliquantisper detentum, tandem occidit, quòd Henricus Cæsar eum liberaturus propediem diceretur.

AD CAP. XXIX.

HENRICVS iste passim apud historicos ad distinctionẽ reliquorum vocatur Auceps: fuisse enim scribitur venationibus & aucupijs admodum deditus. Eum Conrardus, iam animam agens, Cæsareis ornamentis traditis, vt in Imperatorem nobiles reciperent, non consulebat modò, sed & obsecrabat. Cuius precibus permoti proceres in Cæsarem elegerunt: ipse verò ea electione contentus, veluti indignum se reputans, à coronatione abstinuit. Filius erat Othonis Saxonis, de quo ad cap. 27.

Carolus reddit Henric.] Factũ hoc Carolo Simplici magnam apud proceres inuidiã peperit, vsq; adeò vt propterea ab eo ad Robertum Comitẽ Parrhisiẽsem defeciss à nõnullis scribantur, quòd Carolum dicerent regnum Franciæ ad Germani obedientiam deducturum. Putatur tamen Simplex Henrico Imp. Lotharingiam ea conditione, aut spe saltem, restituisse, vt contra Robertum Henrici præsidio defenderetur. *Arnoldum ab Hungaris.*] Arnoldus iste historicis vocatur Malus, alio nomine Arnulphus, Arnulphi Imperatoris filius, Bauariæ Dux. Is ex Hungaria à Bauaris reuocatus, bellum Henrico Aucupi parabat, quem

quem ille sua blandiloquentia ab incepto reuocauit. Est de eo etiam cap. 27. *Hungaris Franciam depopulantib.*] Hungari, cùm de electione Henrici in Imperatorem intellexissent, solita sibi pendi tributa voluerunt: idque vt melius extorquerent, in Saxoniam irruperunt, quos cæde & incendio grassantes Henricus cecidit. *Vrbem Sclauorum Brennaburch.*] Legendum videtur Brandenburch, eam namque ciuitatem Henricus memorabili obsidione victam expugnauit, & Sclauos deiecit. Sclaui autem tunc temporis ferè dicebantur quomodo olim Barbari. Nam & Bohemos & Hunnos, Gothos atque vicinas indifferenter nationes Sclauos fuisse dictos, ex Sigeberti & contemporaneorum scriptis facilè colligitur. De hac re plura ad cap. 31. annotabimus. *Donatam Rodolpho Burgundionum Regi.*] Est is Rodolphus, cui Carolus Simplex, Paronæ captus, ius Franciæ resignauit, quique post eum regnauit. *Hungari tributum à Saxon.*] Lapsis nouem annorum indicijs, summa vi irruunt in Cæsarem Hungari, quos ille, tametsi æger, conscenso tamen equo fortiter excepit. Nam cùm suos pugnam inchoantes pari incessu, coniunctis clypeis Barbarorum tela excipere iussisset, mox vbi frequentiores arcum exoneratum tendere rursum occepissent, cataphractos equites, *Kyrie eleison* magna voce clamantes, in eos immisit, qui totam barbarorum aciem perturbatam, exercitui cædendam dederunt. *Benedictionem Imperialem reciperet.*] Non longè diuersa ea est causa, quam legere est apud alios quosdam scriptores, ex quibus eam retulimus paulo antè, quòd nimirum electione contentus, indignum se benedictione putaret.

AD CAP. XXX.

GISILBERTVS Ragnero Mosellanorum Duce, ac Ermingarda Lotharij 1. Imp. filia procreatus, è recta linea descendit Troianorũ Franciæ Regũ: cuius maiores, cùm à Merouæo patruo Regia dignitate spoliarentur, Mosellanicum tamẽ Ducatum multo tempore retinuerunt; qui nunc Lotharingiæ nuncupationem accepit. Is Ducatus cùm in Lotharingiæ regno contineretur, etiam Lotharingiæ Ducatus iam olim dictus est: & Duces Mosellani Lotharingos se vocarunt, vt hac ratione videantur transiuisse in possessionem nominis: quo modo loquendi diceremus Ducem Italiæ, qui in Italijs Ducatui alicui præesset, v. g. Florentinum aut Ferrarienſem. Estque hoc diligenter notandum; eo quòd sæpius eodem tempore tres, quatuor, plureſue legamus Lotharingiæ, quin & Louanij Duces quam ratio-

nem loquendi passim in vetustioribus scriptis occurrentem, sæpiùs explicat Molanus in elegantissimis, quos scripsit, rerum Louanienſium Commentarijs.

Cæterùm genealogia Gisleberti, in schemate ad finem historiæ affixo videri potest, nihilhominus quo clarior sit, breuiter eam hîc annotamus. Alberoni itaque Vaubertus filius, ei Ausbertus cognomento Senator, huic Arnoaldus, inde Arnulphus, de quo cap. 6. cui Clodulphus, mox Martinus, illi Lampertus, cui Loherus, cui Ferricus, qui vixit tempore Caroli Magni, ei verò Sadigerus Iustus, post quem Ragnerus, pater huius Gisilberti, omnes nepotes inuicem succedentes.

Iam verò & Gisilberto succesſerunt continui, primus quidem frater Ragimirus, cuius filius fuit Godefridus, de quo capite 36. apud Molanum, qui filios habuit Godefridum & Gothelonem, de quibus cap. 42. Inde Godefridus 3. Gothelonis filius, cui Godefridus 4. de quo cap. 46. Cui, deficiente stirpe, suffectus est Godefridus Bullonæus, de quo cap. 49. & 50. quo in Syria occupato, rexit pro eo Guilermus frater eius, à quo succeſſerunt isti qui nunc vocantur Lotharingiæ Duces. Verum ne posteriores quidem illi, hæreditate Ducatum Austriæ Mosellanicæ possederunt. Nam nisi ab Imperatore constitutus nullus eorum legitimus possessor habebatur. *Subdelegauit in omni Lotharij regno.*] Hinc patet quæ ea ætate fuerit ratio Ducum, de qua pauca quædam in præfatione huius operis Molanus.

Et eum iterum Lotharingiæ præfecit.] Donauerat Carolus Crassus Ducatum Lotharingiæ Ragnero Gisleberti patri. Carolus Simplex, dum Ranerus cum Henrico Imp. de possessione certat, vtrumque eijcit, sibique vsurpat. Qui cùm postea eum Henrico Imp. resignasset, is morti proximus, Gisleberto Ducatum restituit, Ottoni filio Imperium legat. *Quare dubitandum non est.*] Ragnero, inquam, de Lotharingiæ Ducatu cum Henrico Imp. contendente, Carolus Simplex vi rerum potitus est: Eam ob rem Gislebertus Ragneri filius, Henrici affinitate elatior, multis annis cum Simplice bellum gessit, Simplice tamen victore ad socerum in Germaniam confugit; qui cum eum Simplici conciliasset, quietis impatiens Gislebertus, ab Imp. copias petit, quibus Carolum è Lotharingia eiiciat: Imperator pacem seruare iubet. Itaque Gislebertus ad Robertum Parrhisiorum Comitem profugit, auxilia postulat, Galliam interea à Simplicis imperio detrahendam monet. Vt facilè appareat Gislebertum hominem inquietissimum parum Carolo Simplici gratum fuisse.

AD

AD CAP. XXXI.

INITIA *gubernationis difficilia*] Propter rebellionem Henrici fratris cum Gisilberto & Euerardo, de qua superiori capite 30. *Henricus Bauariæ suspendio necauit.*] Henricus Imperatoris frater à rebellione in gratiam receptus, primùm Lotharingiæ, mox etiam Bauariæ Ducatum obtinuit, vt est cap. 32.

Contra Danos & Henetos.] Heneti populi ad mare Adriaticum, nunc Treuisani Italis, & Veneti dicuntur. *Coloniam Saxonum quam eò Henricus Auceps.*] Locus ille qui etiam nunc Marchia Brandenburgensis dicitur, vnde primùm atque à quibus coli cœperit, suprà indicauimus, in Richimero Sicambrorum Rege. Occasionem nimirum dederat frequens Gothorum in Saxones irruptio, vt qui è Saxonibus, Thuringis, atque Sicambris quàm maximè hostium viribus excipiendis idonei viderentur, in eam oram Saxoniæ, Gothis proximam, duce Sunone Richimeri filio, mitterentur. Qui cùm post aliquot annos à vicinis Wandalis (quo nomine Pomerani, Bohemi, Poloni, vicinæque nationes, qui & alio nomine Sclaui, censebantur) essent oppressi, eos primus quidem Carolus Magnus, inde verò etiam Henricus Auceps ad Christianam religionem traducere studuit. Ac Henricus quidem, deuictis Hunnis, eam quoque regionem Imperio subiecit, media hyeme castris in paludibus glacie rigidis collocatis, Brandenburch (quæ à Brandone, qui è Sunnonis primi Ducis stirpe descenderat, multo antè fuerat exstructa) Wandalorum sedem vi cepit. Vnde non absimile vero mihi videtur, hanc vrbem intelligendam esse nomine Brennaburch cap. 29. Ceterùm Henricus, quo facilius homines barbaros à feritate ad Christianam religionem paullatim adduceret, Saxonum colonias in eam deduxit, arces contra defectiones exstruxit: Otho verò Henrici filius, latiùs eius regionis limites produxit, Principemque, qui electoria nunc dignitate gaudet, imposuit, à ciuitate prima Brandenburgensem, à limitum conseruatione Marchionem nuncupatum. Inde iam clarum est, quod de Colonia ab Henrico eo deducta hoc capite dicitur.

Conrado Sapiente.] Erat is Sueuiæ Dux, bello & pace admodum insignis, ducta Luitgarda filia, Imperatoris gener.

AD CAP. XXXII.

OTHO, tametsi Gerbirga Gisilberti vidua, quæ cum Henrico filio Caprimontis castro se continebat, reclamante, fratrem suum Henricum Lotharingiæ præfecit: qui cùm insolentiùs se gereret, à subditis electus, in Bauariam secessit.

AD CAP. XXXIII.

SVBIVNGVNT *Ottonem.*] Ricuini Mosellani Ducis, qui frater Gisilberti fuerat, filium: quem Gisilbertus testamento tutorem Henrici filij sui scripserat. *Ludouicus Rex Gisilbertum extinct.*] Ludouicus 4. Franciæ Rex Simplicis filius, qui Rodolpho Burgundo, ad secundum regni annum demortuo successerat.

AD CAP. XXXIV.

CONRADVS.] Ottonis gener, Sueuus, de quo suprà: qui cùm in bello Hungarico, nimio pugnandi ardore fatigatus, galeam aëris capiendi gratia detraxisset, telo transfixus occubuit, à Cæsare Wormatiæ honorificè sepultus.

AD CAP. XXXV.

RAGINERIVM *Montensem Comitem.*] Ragineriusiste Comes Hannoniæ, quòd Gisleberti cognatus esset, vi atque armis Lotharingiam occupare nitebatur, atque ab exterorum imperio ad veros hæredes reducere, fretus auxilio atque amicitia quam colebat cum Ludouico 4. Franciæ Rege, & Lothario eius filio successore, ad quem, cùm omnibus ipse bonis spoliaretur, cum liberis Raginero & Lamperto transfugit. Ab hoc Raginero succedit linea mascula Comitum Louanienſium seu Ducum Lotharingiæ, de quibus plura inferiùs dicemus. *Iunior fratrum.*] Filiorum Henrici Aucupis Imp. qui erant Otto Imperator, Henricus Bauarus & Dn. Bruno.

AD CAP. XXXVI.

DVX *Godefridus.*] Godefridus filius Ricuini Ducis Mosellani, Gisilberti Ducis ex fratre nepos, primus eorum est qui à pilorum frequentia Barbati nuncupantur. De hoc Duce tanta est inter historicos, posteriores præsertim, concertatio, vt multi eum è serie Ducum reijciant: datas veterum, aiunt Godefrido Barbato priori non conuenire, sed alteri Godefrido Barbato de quo cap. 42. apud Molanum. Error ex eo natus est, quòd eum in regimine Carolo Franco, & eius filio Ottoni postponant, quibus certum est Godefridum 2. Barbonem successisse; vt non mirum sit si ea data priori huic non conueniat, qui sub Brunone mortuus est. Rectè Molanus eum sub Brunone vicarium quasi Ducem constituit. Hoc Duce defuncto Lotharius Franciæ Rex armata manu Ragnerij Longocollij liberos restituere conatus, in Lotharingiam irrupit: sed eum Cæsar prælio victum, perpetò Lotharingia decedere cogit: id quod Molanus, tempore interregni Ducatus factum annotauit cap. 38. Multi totum illud interregni tempus, inter Godefridum, Carolum, & Othonem, Du-

ces

ces diuidunt. Vt vt se res habeat, toto eo tempore laborarunt Lambertus & Raginerius Longicollij, vt paternas opes cum Lotharingia recuperarent.

AD CAP. XXXVII.

ITAQVE *Otto cùm exercitum & Imperium.*] Otto commisso cum Sarracenis Græcisque prælio inferior, fuga salutem quæsiuit. Itaque nauiculam in littore nactus, remigatione se euasurum putabat. Verum in piratas incidens, cùm Imperatorem esse nonnulli suspicarentur, Byzantium adducere voluerunt; promissa tamen pecuniæ idonea summa, in Siciliam appulerunt. Cuius nomine, cùm Sclauus quidam mercator fidelissimè pecuniam promissam numeraret, Otto, clàm dilapsus, Romam venit, exercitumque collegit, Sarracenos fudit, Beneuentum expugnauit, ac serpente paulatim veneno, quod sagitta percussus in eo bello conceperat, Romæ moritur anno Imperij 10. In porticu D. Petri, in Vaticano sepultus, tumulo porphyretico, qui integer adhuc illæsusque visebatur anno superiori 1591.

AD CAP. XXXVIII.

HIC *est ille Carolus cui regnum Francorum.*] De Hugonis Capeti genere breuiter notauimus aliquid ad caput 24. Carolus iste filius iunior natu fuit Ludouici Franciæ Regis filij Caroli Simplicis, cuius mentio fit cap. 33. fratri Lotharij, qui patri Ludouico successerat: quo vita functo, cùm Carolus Franciæ regno inaugurari vellet, proceribus non admodum gratus, quòd Germaniæ Imperatori pareret, ab Hugone Capeto, tametsi primo prælio victor, secundo tamen inferior ac victus, Lauduni obsessus, vrbeque prodita captus, Aureliæ in vinculis præ mærore diem obijt. *Ex vxore autem sua.*] Alij aliter, tres nominatas à Molano proles, ex Bona Ricuini Mosellani filia, Godefridi Barbati sorore, natas volunt: ex Agnete, Heberti Comitis Trecensis filia, Ludouicum & Carolum, Aureliæ, patre capto, mortuos, susceptos scribunt.

AD CAP. XXXIX.

QVA *de caussa Ioannem Pontific.*] Ioannem 17. Romanum. *Ioannem Pseudopontific.*] Ioannem, qui 18. futurus erat, Græcum. Erat autem Gregorius quintus Saxo, Bruno antè vocatus.

AD CAP. LXI.

HENRICVS *Saxo.*) Henrici Bauari filius, Ottonis Magni ex fratre, ni fallor, pronepos, mira vitæ sanctitate commendatus. *Hungariæ Apostolus.*) Gisela Henrici soror cæteras ea ætate puellas formæ elegantia facilè superabat. Eam Rex Hunnorum, ob incomparabilem pulchritudinem, vxorem petijt.

Recusat Cæsar, ni Christianus esse velit. Rex, nimio puellæ amore captus, libenter consentit: ac, mutato nomine, ad Christianum cum tota gente conuertitur. Eam ob rem Henricus Hunnorum Apostolus, apud eos primùm coli cœptus est: in Sanctorum catalogum cum vxore, quam virginem, morien, amicis reddiderat, adscriptus.

Cæterùm vt clarior sit historia Imperatorum Saxonum, qui extra cognationem sunt nostrorum Ducum, visum est eorum genealogiam hîc seorsim adiicere. Itaque Ludouico Imp. Arnulphi filio, qui vltimus è stirpe Ducum Brabantiæ Germanis præfuerat, vita functo, in Imperatorem eligitur

Otto Saxo, qui præsidio Imperiũ reijciens, Conradum, Francone Ducem eligi curauit, cui successit
- Henricus Auceps Imp. c. 28
  - Henricus Baua cap. 30 31.
    - Otto Imp. c. 30.
    - Bruno c. 35.
    - Ludolphus Dux Sueuiæ
    - Luitgardus habuit Conradum Sapientem Ducem maritum c. 34.
  - Ottonis 1
    - Henricus Imp. c. 41.
      - Otto 2. Imp.
      - Otto 3. Imp.

Conradus Imp. c. 43.
- Henricus 3. Imp. cap. 44
  - Henricus 4 Imp. c. 46.
    - Conradus Dux c. 49.
    - Henricus 5. Imp. c. 53.

Ad hos Imperatores inuicem sibi succedentes referenda sunt omnia quæ à cap. 27. vsque ad 56. Cæsari tribuuntur. Henrico autem 5 mortuo sine liberis, Imperatoria dignitas ad Sueuiæ Duces translata fuit, sed quorum in historia Molani nulla sit mentio, quòd Lotharingia Godefrido Louanensi Comiti in hæreditatem data, Cæsarem amplius pro Domino post Henricum 5. non agnouerit, eam ob rem nos eos quoque præteribimus.

AD CAP. XLII.

Mortuo Ottone.] De quo cap. 40. non Imperatore, sed Duce. Eius sororem Gerburgam, Caroli Ducis filiam Lambertus Longicollius vxorem habebat. Itaque Ottone defuncto, cùm de tota Lotharingia, pro qua retinenda multum contra Impp. laborauerat Raginerius pater, desperaret; magnam tamen eius partem, dotis nomine quasi debitam, Francorum auxilijs occupauit. Ea à prima ciuitate dicio Louanensis est appellata.

Godefridus filius Godefridi Ardennensis.] Filij Ricuini, Ducis Mosellaniæ, de quo nunc aliquoties dictum est. Hoc loco alij nonnulli Godefridum patrem istius (quem Molanus sub Brunone præfuisse scribit cap. 36.) Lotharingiam rexisse volunt. Atque inde nata difficultas & quæstio, de qua ad cap. 36. Molani. Fuit autem Godefridus de quo hoc capite 42. vir admodum strenuus, qui sub Carolo Duce, contra Capetum Franciæ tyrannum,

tannum, ob triplicem victoriam, triplici corona, laurea, ciuica, & murali cinctus est. Lambertum quoque Comitem Louanensem, & Raginerium eius ex fratre nepotem egregiè debellauit, quorum vterque in bello peremptus, Godefrido victoriam reliquit. *Frater verò Gothelo.*] Qui & Gozelo & Ezzo, à quibusdam, non frater, sed filius dictus; Oddonem Campaniæ Comitem Burgundiam occupare volentem vicit. Sepultus apud S. Hubertum in silua Ardenna cum filia Cunegunde.

Obtinuit ab Imp. Conrado Mosellanorum Ducatum. De Mosellanorum agro seu Ducatu ex vetustis diplomatibus & historijs annoto, fuisse eam regionem quæ ad Mosellæ ripam inferiorem vsque Lotharingiam protenditur. Quibus verò limitibus præcisè contineretur, non ausim certò pronuntiare, varijs historicis varia, fauore potiùs, vt apparet, quàm veritatis studio, suppeditantibus. Hoc constat, Ducatum hunc alium à Lotharingiæ Ducatu, sub regno tamen Austrasiæ, postea Lotharingiæ fuisse comprehensum, & ideo paulatim obtinuisse nomen Ducatus Lotharingiæ.

Ad cap. XLIII.

Henricvs Cæsar, vir sanctus, ita pudicè, tametsi legitimo in matrimonio, vixit, vt vxorem moriens virginem, quam acceperat, parentibus redderet; illa etiam, incontinentiæ obiecta, candens ferrum nudis pedibus calcare in virginitatis signum non dubitauerit: vterque in canonem Sanctorum relatus. Ei in Imperio successit Conradus Franconiæ Dux, Ottonis etiam Magni pronepos, Sclauorum & Hungarorum domitor.

Ad cap. XLIV.

Vno contra duos, &c.] Schisma ortum inter Benedictum nonum, Siluestrum 3. Gregorium 6. à Sigeberto notatur, qui ab Henrico tertio pulsi, Clementem 2. Saxonem habuerunt successorem. *Quam iacturam cùm grauiter tulisset*] Dicitur suffocatus à particula panis exigua, filio priùs suffecto, quemadmodum ipse à patre Conrado etiam viuente in Imperium substiturus fuerat.

Ad cap. XLV.

Dum ei Mosellanorum Ducatus.] Henricus Imp. denegans Godefrido 3. Ducatum Mosellanum, quem pater eius Gothelo possederat, multiplicem ab eo passus est rebellionem. Post quam cùm ipse se Imperatori dedisset, carcerem tamen ferre non posset, filium obsidem dedit: itaque liberatus ipse aliquamdiu conquieuit, donec audita filij morte ad antiquum redijt.

AD CAP. XLVI.

AD sacra Godefridi Gibbosi bella pertinet, quòd Alexandrum Papam à Cadolo Episcopo Parmensi electum restituit, & Nordmannos ad restitutionem bonorum ecclesijs ablatorum coëgit. Postea bellum cum Phrisijs gessit: quos cùm perdomuisset, à sicario Phrisio peremptus est. Errorem hîc in Sigeberto annotat Molanus lib. 1. rerum Louanienſium, cap. 6. apud quem legatur, Anno 1076. Richarius in Frisonia Godefridum Ducem perimit. Corrigit, Sicarius ex Frisonia, &c. Ita namque codex Parcensis monasterij illius ferè temporis Ducem Godefridum sicarius interimit, cultello feriens per secreta naturæ, dum ad purgandam aluum in secessu sederet. Adijcit hunc sicarium, Frisonem vocatum, reperiri Gisilbertum, & scelus Antuerpiæ perpetrasse, de mandato Theoderici Domicelli Hollandiæ, & Roberti Frisij Comitis Flandriæ, qui erat Theodorici vitricus & tutor. Cùm enim Godefridus, auxiliante Wilhelmo Episcopo, Hollandiam & Orientalem Frisiam bellica manu subegisset, Theodoricus à paterna hæreditate excluſus, cooperante tutore, hac ratione ad suum Principatum redijt. Godefridus itaque saucius, Traiectum se duci iussit, vbi v. Kal. Martij mensis, vitæ spiritum exhalauit. Sic eo loco Molanus.

AD CAP. XLVIII.

INCIDIT hoc capite rursum mentio Flandriæ Comitum, qui non cognatione solùm, sed multis etiam affinitatibus Louanienſibus Comitibus iungebantur: incidet etiam sequentibus capitibus non rarò. Eam ob rem visum fuit breuiter hîc ob oculos ponere genealogiam Flandriæ Principum, quam ex bonæ fidei historicis, quoad eius fieri potuit, & quantum ad historiam Molani facilius intelligendam opus esse videbatur, collegi. Exordium sit, primus Flandriæ Comes, *Balduinus Ferreus*, ex saltuario dignitatem Comitis adeptus, de quo apud Molanum est cap. 20. ex Iuditha, Calui filia, vxore procreauit *Balduinũ Caluum*, de quo cap. 24. & successit *Arnulphus* fil. cui *Balduinus* fil. illi verò *Arnulphus* fil. huic etiam *Balduinus Barbatus* fil. cui *Balduinus de Insulis*, de quo hoc cap. is filios habuit *Balduinum* successorem, & *Robertum Phrisium*, de quibus hoc capite 48. Balduino successit *Balduinus de Montibus*, de quo c. 50. qui tamen Hannonia contentus, Flandriam fratri *Arnulpho* permisit, quem *Robertus Phrisius* patruus & tutor extrusit. *Robertus Phrisius* proles habuit *Balduinum Hierosolymitanum*, maritum Clementiæ sororis Calixti 2. qui ex bello Hierosolymitano domum redijt, & *Robertum Solymum*, de quo in appendice,

ad cap. 52. Filiam quoque habuit *Gertrudem*, iunctam prioribus quidem nuptijs Henrico 3. Comiti Louanienſi, poſterioribus verò Alſatiæ Principi; ex qua natus eſt *Theodorus Alſatius*, de quo in appendice ad cap. 52. Is filium habuit *Philippum Alſatium*, de quo ibidem; filiam verò *Margaretam Alſatiam*, ex qua natus eſt *Balduinus*, de quo in appendice: qui Imperator Conſtantinopolitanus factus, filiam habuit *Ioannam*, Flandriæ Comitem, & *Margaretam*, quæ ſorore defuncta, præfuit: fratrem habuit *Henricum* qui in Imperio ſucceſſit, de quo in appendice; ſororem inter cæteras *Iolandam* Petro Antiſiodorenſi nuptam, quæ peperit *Robertum* Imp. Conſtant., qui filium habuit *Balduinum* 2. Imp. Conſtant., quem iuniorem adhuc, tutoribus malè rem gerentibus, Græci Imperio ſpoliauerunt. Porrò ex Margareta Balduini Imp. filia proceſſerunt *Guilielmus* qui in Syria rem geſſit, & *Vido* Flandriæ Comes. Ex Vidone natus eſt *Robertus Bethunius*, de quo in appendice: qui cùm nimia Franci tyrannide premeretur, ab eius amicitia reſilijt. Hinc Flandria à Paribus Curiæ Gallicæ Franco adiudicatur. Miſſus verò Ludouicus Franci filius, qui patris nomine prouinciam regeret, Brugis capitur, trucidatis, quotquot in vrbem recepti fuerant, Francis. Quo Nauarræ regnum adepto, Robertoque mortuo, *Ludouicus* Rob. fil. ab oppido, in quo natus erat, Malanus dictus, Flandriam rexit. De eo eſt apud Molanum cap. 65. Duxerat in vxorem Margaretam Ioannis 3. Brabantiæ Ducis filiam. Ab hoc Principe quænam fuerit Flandriæ Comitum ſucceſſio, commodiùs annotabimus ad caput Molani 67. Hæc eo tantùm dicta ſunt, vt quæ de Balduinis hactenus occurrentibus leguntur, maximè verò quæ in appendice ad caput 52. habet Molanus, rectiùs intelligantur. Eam ob rem ab omni narratione hiſtorica ſecretam propoſuimus Flandriæ Comitum genealogiam.

Inter Balduinum verò Ieroſolymitanum & Theodorum Alſatium tres interceſſerunt Flandriæ Comites, Balduinus Securis Balduini Ieroſolymitani fil. & ab eo hæres inſtitutus Carolus Danorum Regis filius, miraculis poſt mortem clarus, & Guilielmus Nordmannus Carolo ſucceſſor à Franco miſſus, poſt quem Theodorus Alſatius præfuit: illos de induſtria omiſimus, quòd nihil pertinerent ad propoſitum noſtræ narrationis.

Cæterùm Robertus Phriſius, de quo eſt caput hoc 48. poſt vtramque ſacram expeditionem malè ſuccedentem, in patriam reuerſus, Gertrudem, Batauiæ Comitis Florentij filiam, matrimonio ſibi copulauit, quo nomine Phriſiam acquiſiuit, ſuo Selandicas Inſulas poſſedit: quibus poſtea Flandriam adiecit.

AD CAP. XLIX.

SICARIVS *quidam Friso.*] Verba sunt codicis Parcensis, nam, in Sigeberto locum esse mendosum, suprà c. 46. notatum est.

Rex Henricus.] Imp. quartus eius nominis, ob vitæ impuritatem & scelera à communione fidelium separatus, mox pœnitens absolutus. Inde iterum excommunicatus, ab Henrico filio dignitate priuatus, Leodij moritur, cuius corpus quinquennio Christiana caruit sepultura.

Godefrido Gibbero Duce occiso, cùm prolem nullam reliquisset superstitem, quidam ad Eustachium Bullonęum Comitem, cui Itta Gibberi soror matrimonio iungebatur, Ducatum Lotharingiæ transferunt: quamquam verisimilius sit, ea, quam Molanus hoc & superiori capite describit, ratione, ad Godefridum Bullonæum Eustachij filium deuenisse: ita enim historici propemodum omnes. Erat autem Eustachius Bullonæus paterno genere è Flandriæ Comitibus, materno à Carolo Caluo oriundus, ipse Bononiæ Gallicæ Princeps, cuius frater Guilielmus Episcopus erat Parthisiensis, & Regis Cancellarius.

AD CAP. L.

PETRVS *Eremita.*] Ambianensis, vir nobilis, prima ætate rei militari deditus, tametsi litteris apprimè imbutus, sed corpore deformis, ac breui statura, completis pubertatis annis, eremo se deuouit, transactoque aliquanto tempore, Ierosolymæ inuisundæ studio diuinitus impulsus est, paupertate vilique cultu inter Barbaros securior omnia pia loca lustrauit, nostrorum considerauit cædes, impiorum vires, vrbes, animos didicit. Edoctus deinde à Simone Ierosolymitano Patriarcha litteras ad Pontificem Romanum defert, quibus Christianos cohortaricupiebat, vt Ecclesiæ Orientali piæque ciuitati propemodum deletæ opem ferrent. Vrbanus itaque Papa litteris hisce acceptis à Petro Synhodum Claremonti celebrauit, de qua Molanus hoc capite.

Nam Henricus Imp. in acie exsistens] Propter multa egregiè præstita, maximè verò Romæ expugnationem sibi creditam, Godefridum, ab Henrico Imperatore Cunrado successorem datum, atque in Ducatu, qui iure quodammodo ei debebatur, confirmatum esse legimus. *Balduinus de montibus.*] Eius genus explicauimus in Comitibus Flandriæ. *Balduinus de Burgo.*] Godefridi Gibbosi ex sorore Bertha nepos, quemadmodum Godefridus Bullonæus ex Itta.

AD CAP. LII.

ROBERTVS II.] De hoc Roberto, & sequentibus in appendice Principibus, vide genealogiam Comitum Flandriæ ad cap. 48.

cap. 48. *Inprimis Fulconi socero*] Balduino à Burgo tertio Ierosolymorum Regi succesſerat Fulco Andegauenſis, eum ſecutus eſt Balduinus 3. cui frater Almericus, inde Balduinus 4. quem Balduinus 5 qui cùm iunior adhuc eſſet, à vitrico extruſus eſt: quo regnante Ieroſolyma poſt 88. annos Chriſtiana, rurſum in poteſtatem Barbarorum deuenit.

AD CAP. LIII.

DEFVNCTO Godefrido Bullonio, & Balduino Ieroſolymorum Rege electo, Gulielmus eorum frater procuratorio nomine Lotharingiam adminiſtrabat: qui cùm non multo pòſt diem obijſſet, Henricus Limburgenſis filius, qui rem gerere inceperat in Lotharingia inferiori, reliquis fratribus, maximè verò Theodoro, in alia Ducatus parte hæreditatem adeunte, tandem ab Henrico v. Imp. è Ducatu electus eſt, & Lotharingia hactenus beneficiario iure poſſeſſa, Godefrido Louanienſi in hæreditatem data fuit.

AD CAP. LIV.

HENRICVM exducis filium] Vide alios quoſdam hiſtoricos, hunc Henricum, filium Molano, ipſum & patrem exiſtimare Gulielmi Bullonij filium. Vt tamen cum Molano ſentiam, pluribus adducor argumentis.

AD CAP. LV.

DVCATVS Lotharingiæ, qui multo iam tempore beneficiario iure poſſidebatur, Godefrido Louanienſi in hæreditatem datur. Henricus enim v. Imp. cum quo Godefridus in Armenia captiuus fuerat, cùm maſculam ex vxore prolem nullam ſuſceptiuus fuerat, cùm maſculam ex vxore prolem nullam ſuſcepiſſet, Godefrido filia Sophia collocata, eam quam poterat Imperij partem in dotem dedit. Quænam autem ea Lotharingia fuerit, quibus finibus contenta, non vſque adeò certum eſt. Moſellanum namque Ducatum, qui nunc Lotharingia dicitur, ea etiam ætate ſuos habuiſſe Principes hiſtorici tradunt: inferiorem verò Lotharingiam, quæ Brabantia finitimiſque regionibus continetur, vt ab Imperatore in dotem acciperet, ridiculum videtur eſſe: eam enim iam antè fratri ſuccedens, Comitatus Louanienſis nomine poſſidebat. Niſi dicendum fortaſſe videatur, tunc primùm Comites Louanienſes pacificos ſui Comitatus ab Henrico v. donati, poſſeſſores factos fuiſſe.

Comitatus autem Louanienſis, qui ſub Ottone I I. initium cepit à Lamberto Longicollio, vti ad caput 42. annotauimus, poſtea verò Brabantiæ Ducatus eſt appellatus, ijſdem ferè, quibus nunc, Brabantia limititibus continebatur: niſi quòd Marcham Imperij nondum Louanienſis poſſideret. Semper autem in hoc intenti

intenti fuere Louanienſes Comites, vt totam Lotharingiam ſibi iure quodam debitam poſſiderent. Eam ob rem perpetuum ferè ad tempora vſque Godefridi cum Imperatoribus bellum geſſerunt, quin & inſignia Lotharingiæ, tanquam veri eius regionis Duces, vſurpauere, ſcutum faſcia diuiſum. Nec video cur non ab Ottone Caroli Franci filio, de quo eſt cap. 40. Molani, pro Ducibus Brabantiæ numerandi ſint Louanienſes Comites, niſi quòd pacifici nondum eſſent poſſeſſores, quin & inuitis Imperatoribus regionem Imperio ſubditam retinerent, donec totus Lotharingiæ Ducatus, Godefrido Louanienſi Comiti in hæreditatem datus eſt.

Ceterùm res erit ab hac hiſtoria minùs aliena, ſi pauca quædam de Comitum Louanienſium ſucceſſione annotauero. Itaque Raginerius Longicollius, Haginöenſis (qui nũc Hannoniæ) Comes, Giſilberto, Lotharingiæ Duce, conſanguineo defuncto, Lotharingiam ſibi deberi, neque exteris eſſe concedendam dicebat: verùm ab Imperatore ſpretus, prædas agere, in Lotharingiam armata manu excurrere, totumque regnum Lotharingiæ populari cœpit. Eam ob rem à Brunone Archiduce comprehenſus, bonis omnibus exutus, in exſilium mittitur. Is cùm duos haberet filios, Lambertum & Raginerium; ij ad Lotharium Franciæ Regem confugerunt. Cuius auxilio cùm ſæpiùs paternum Comitatum recipere fruſtra tentaſſent, decimo octauo demum exſilij anno, ſuperiores euaſerunt: ope nimirum Hugonis Capeti Franciæ poſtea Regis, cuius filiam duxerat Raginerius, & Caroli Franci Lotharingiæ Ducis, cuius filia Gerbirga vxor Lamberti nunc eſſe cœperat. Itaque cùm Otto Dux Lotharingiæ, Caroli filius, Gerbirgæ frater, ſine liberis diſceſſiſſet, Ducatum verò S. Henricus Imp. Godefrido Ardennenſi dediſſet, Lambertus Gerbirgæ maritus, homo bellicoſus, dotis vxoriæ nomine magnam Lotharingiæ partem, inuito Imperatore, vi & armis retinuit, eam videlicet, quam ipſe vocauit Comitatum Louanienſem. Quam rem cùm S. Henricus Imp. ęgerrimè ferret, Lamberti tamen virtutem potentiamque vereretur, diſſimulandum potiùs quàm bello repetendum Comitatum exiſtimauit.

Lambertus Longicollius 1. Comes Louanienſis.

Hinc *Lambertus Longicollius* primus Comes Louanienſis: eo vita functo (cecidit enim in eo bello, quod pro fratre Raginerio contra Godefridum Hannoniam populantem geſſit) Comitatum rexit cum matre. *Henricus* 1. cuius filia Mechtildis er Euſtachio Bononienſi genuit Euſtachium Bullonæum, patrem Regum Ieroſolymitanorum. Occiſus Henricus domi ſuæ à ca-

Henricus 1. Comes Lou. 2. Otto 3. Comes.

ptuo quodam Hermanno, ſucceſſorem habet *Ottonem*, filiolum, cui

cui mox vita functo successit *Baldricus*, qui & *Lambertus* 2. patruus, Collegij Canonicorum S. Petri Louanij, & S. Gudulæ Bruxellis institutor. Is in bello quod contra Henricum Imp. gestum est apud Flandros, Tornaco defendendo præfectus, ab Imp. vrbem expugnante occisus est. Successorem habet *Henricum* 2. fil. qui post se reliquit duos filios successores, ex Adela sorore Ducis Thuringiæ, *Henricum* 3. qui vxorem habuit Gertrudem, filiam Roberti Phrisij Flandriæ Comitis, quæ, dum ipse Tornaci prouocato ad singulare certamen nobili quodam occisus est, nupsit Alsatiæ Landtgraffio Theodoro, ex qua susceptit Theodorum Alsatium Flandriæ Comitem. Successit in Comitatu *Godefridus*, de quo cap. 55. frater Henrici 3. cuius tempore cùm rebellio Henrici Limborgensis Ducis incidisset, Imperator Ducarum Lotharingiæ Godefrido in hæreditatem dedit: filiam quoque vxorem ei permisit, & grauissima quæ multis annis inter Comites Louanienses & Impp. vigebant dissidia sustulit. Hinc manifestum est quomodo sit intelligendum quod ex fide vulgaris historiæ notauit Barlandus, Godefridum Barbatum Brabanticam terram ab Arduennæ Principibus occupatam (dono scilicet Imperij, non vi) primùm recuperasse. Quid verò tribuendum sit historijs istis vulgaribus, quas mendacijs plenas esse passim Molanus in Commentarijs rerum Louanienſium ostendit, alijs iudicandum relinquo. Lazius verò, doctus alioquin historiographus, quàm in Comitibus Louanienſibus aberrauerit, pluribus recenset Molanus. Porrò Godefridus vt viribus, ita etiam pietate maximus, multis accessionibus dotauit Cœnobium nouum in Comitatus Louanienſis loco qui dicitur Affligem, ædificauit Vliderbecum & Parcum, hanc Præmonstratensis, illam S. Benedicti ordinis Abbatias. Erexit Præposituram capellæ Bruxellensis, amplissimè dotauit cellam S. Trudonis, Aduocatum se præstitit cellis de Gemblaco & Niuigellensi, aliaque egit complura tanto Principe digna. Mortuus anno 1140. Sepelitur in Affligemensi cœnobio. Præter Sophiam, Henrici v. Imp. filiam, aliam legitur habuisse vxorem, Clementiam Calixti 11. pp. sororem. Fratrem quoque habuit Alberonem ex Canonico Metensi Leodiensem Episcopum, virum iuris vtriusque professione & sanctitate clarissimum, vt ex Placentio citat Molanus.

Lambertus 2. *Comes* 4. *Henricus* 2. *Comes* 5. *Henricus* 3. *Comes* 6. *Godefridus* 8.

AD CAP. LVI.

HENRICO Comite Louanienſi, filio Godefridi Magni ad vitam monasticam translato, Dux Lotharingiæ factus Godefridus 11., in ipso suæ gubernationis exordio bellum cum Henrico Limburgensi exduce gessit. Interea quoque inuasit eum Wal-

Waltherus Berthouts Dominus de Grimbergen : sed mortuo mox Godefridus II., succedit Godefridus III. vnius anni puer, procreatus ex Luitgarde sorore Conradi Imperatoris.

AD CAP. LVII.

HVNC passim historici vocant Godefridum in cunis : habent enim vernaculæ Brabantorum historiæ, Ducem hunc, cùm puer adhuc esset, in cunis ad exercitum, qui contra Dominum Grimbergensem conscriptus erat, delatum, victorem fuisse. Vxorem adultus duxit Margaretam, filiam Henrici exducis, qua occasione conquieuit Limborgensium in Brabantinos odium, ex eo conceptum quòd Godefridus Magnus Henrici Ducatum ab Imperatore donatum accepisset. Adultus etiam Godefridus à Comite Flandriæ requiritur, vt Ducatum abs sese in feudum releuaret, quòd tutores id promisissent. At ille exsertum Comiti gladium tradens, huic, inquit, gladio priùs ceruicem subiecero, quàm Ducatum tam nobilem à Comite releuarim. Ita Molanus lib. 1. rerum Louanienſium cap. 7. *Henricus filius eius miles effectus est.*] Quid ea ætate fuerit esse militem, docet Molanus in præfatione huius operis. Præter hunc Henricum alios Godefridus habuit liberos, inter quos Albertum Martyrem Episcopum Leodiensem. Et ex Inania altera coniuge, Wilhelmum de Pervveto, primum Baronem de Pervveto.

Condidit Godefridus hic ciuitatem Siluæducensem, quam multis priuilegijs ornauit, vt est apud Dynterum. Ea de re circumfertur versiculus numeralis, *Godefridus Dux è silua fecit oppidum.*

AD CAP. LVIII.

BELLVM Grimbergense confectum fuisse opera Comitis Flandrensis, atque ob eam rem tutores Godefridi spopondisse Ducatum Lotharingiæ Flandris Comitibus feudatarium fore, notatum à quibusdam fuit.

Circa hæc ferè tempora frequentes fiebant ab Europæis Principibus in Asiam expeditiones. Illa sanè quæ D. Bernardi Clarævallensis Abbatis opera excita fuerat innumerabilis propemodum ad sacram militiam multitudo, cui se Conradus 3. Cæsar ductorem adiunxit, insigni Græcorum fraude interijt. Summa erat in castris inedia, panis certatim militi conquirebatur, quem cùm Imperator Constantinopolitanus, gypso permixtum vendidisset, plures veneno Christianos peremit, quàm bello Sarraceni superare potuissent. Ita Agarenos potiùs Imperio potiri, quàm Latinos Christianos in Asia Reges esse, semper Græci cupiuerunt.

AD CAP. LIX.

HENRICVS primus, pugnacissimus Brabantiæ Dux, cùm ex nu-

ex nuptijs Friderici 2. Imp. reuerteretur, Coloniæ vita decedit. Inde Louanium vectus, in medio chori sepultus est, vbi carminibus adscriptum in tumulo legitur Epitaphium:

Hic primus iacet Henricus Dux nomine quartus,
Cui coniux bina, Machtild prior, inde Maria:
Prolem septenam genuit prior, vltima, binam,
Brabantinorum Dux, regni Marchio, morum
Regula, iustorum speculum, vindicta malorum,
Flos patriæ, pax Ecclesiæ, clypeus viduarum,
Spes veniæ, vas munditiæ, tutela minorum.

Anno Domini M. C C. X X X V. nonis Septembris obijt Henricus I V. Dux Lotharingiæ, bonæ & piæ memoriæ. Viuens valensque construi fecit domum religiosarum in Banco in suburbijs Louanienſium. Eius item auxilio fundata est congregatio Canonicorum Regularium ecclesiæ S. Gertrudis in Louanio. Machtildis vxor 1. filia fuit Matthæi Comitis Boloniæ, si Barlando credimus, Maria, Philippi Gallorum Regis filia, vt est in codice Parcensi. Filiam Henricus habuit Mariam, Othonis 4. Imp. coniugem, vnde est in Philippeide ea ætate scriptum:

Territat in primis nostros Comes ille Louanî
Henricus, socer & miles nunc factus Otonis,
Innumeris cum Brachbantis, quo senior alter
Vix vsquam est populus, bello aut assuetior armis.

Alias habuit Geldriæ Lossensis patriæ, Hollandiæ & Cliuiæ ex matrimonio Comites filias, quæ nobilissimam ei nepotum seriem produxerunt, de quibus plura Molanus libro 11. rerum Louanienſium.

AD CAP. LX.

HENRICVS 2. qua pietate & humilitate cum magnitudine animi coniuncta præditus fuerit, multa sunt quæ testantur: nam vt ea omittam quæ pluribus verbis de tanto protectore & benefactore narrat Chronicon monasterij Villarienſis, insigne præbuit humilitatis & modestiæ exemplum, cùm Innocentius 4. post Fredericum 2. Imperatorem Imperio exutum, ad Henricum datis literis Imperij dignitatem obtulit: quam ipse, sua contentus fortuna, recusauit, & Guilhelmum Hollandiæ Comitem, suum ex fratre nepotem Pontifici commendauit.

Ludouicus Thuringiæ Landtgrauius.] Alibi video eum vocari Hermannum. Inter cæteras verò Henricus 2. Dux filiam habuit Beatricem, nuptam Guilhelmo Flandriæ Comiti, Margaretæ filio, Balduini Imp. nepoti. Filium habuit Henricum Thuringiæ Landtgrauium. Filiæ suæ Margaretæ ædificauit Abbatiam

tiam Vallis Ducis in Comitatu Louanienſi : quod vouiſſe eum ſcribit Chronicon Villarienſe , vt maſculam prolem conſequeretur , quæ in Ducatu ſuccederet.

AD CAP. LXI.

HENRICVS 3. primus ex Louanienſi , Brabantiæ Dux, mutato nomine voluit appellari. Sepultus eſt Louanij , in cœnobio Prædicatorum, quod ipſe ſtruxit atque dotauit. Vxor Aleidis , Duciſſa Burgundiæ , viro in ipſo ætatis flore defuncto, in fundo Prædicatorum domum ædificauit , quam à Priore ad vitam ſuam vno denario (vt ipſamet loquitur) conduxit, vt pijs orationibus in eccleſia à viro ædificata , ad eiuſdem tumulum vacare poſſet. Exſtruxit ipſa monaſterium ſororum ordinis Prædicatorum. Exſtant epiſtolæ Thomæ Aquinatis ad hanc Duciſſam, atque ipſius rurſum ad D. Thomam.

AD CAP. LXII.

REFERT Thomas Cantipratenſis lib. 2. Apum cap. 43. de Aleide Duciſſa in hæc verba : Duciſſam Brabantiæ Aleidem, antequam Dux nobiliſſimus Henricus eam duceret , per Phyſicum patris Ducis Burgundiæ prænouiſſe , ipſa referente audiuimus, quòd primo conceptu vix nato & baptizato priuaretur , ſecundo verò debili , cæteris poſtmodum lætaretur. Hæc ille. Certè Henricus 4 cùm octo annis ſub tutela matris rerum ſummam adminiſtraſſet , præ debilitate Ioanni fratri Ducatum cedere coactus eſt. Quam reſignationem, tanquam Domini Waltheri Berthouti Domini Mechlinienſis fraude extortam , Louanienſes Duce Arnoldo Domino de Weſemale armis impedire conati ſunt: ſed ei cum dedecore cæſis , Ioannes ſine contradictione ſuffectus eſt.

AD CAP. LXIII.

IOANNES primus fratrem ſuum Godefridum Dominum de Verſon multis auxit priuilegijs & bonis , vt eſt in diplomate quodam Teutonico , quod in hiſtoriam Louanienſium tranſtulit Molanus. A quo Godefrido exorti ſunt Duces Arſchotani , teſte eodem Molano. Vxorem habuit Ioannes Margaretam filiam Philippi Franciæ Regis , qui filius erat S. Ludouici : alteram quoque Margaretam , filiam Guidonis Flandriæ Comitis. Filiam Margaretam , Pontificis impetrata venia , collocauit Henrico Comiti Lutcenburgenſi : poſtmodum Imperatori, conſanguineo ſuo ; Mariam Comiti Sabaudiæ deſponſauit. Margareta ex Henrico Imperatore progenuit Ioannem Bohemiæ Regem, patrem Caroli 4. Imp., Wenceſlai Ducis Brabantiæ , & Henrici Marchionis Morauiæ. Ioannes 1. ſexto poſt victoriam Woringienſe anno , Barrum ad nuptias Angliæ Regis & Duciſſæ Barrenſis pro-

sis profectus, in hastiludio letale vulnus in musculo brachij accepit. Percussori venia data, Ecclesiasticis munitus Sacramentis, obijt anno ætatis suæ 41. Corpus Bruxellas solenniter illatum est in ecclesiam Fratrum Minorum.

AD CAP. LXIV.

IOANNES 2. ex Margareta filia Eduardi Regis Angliæ, genuit Ioannem 3. successorem. Multum abhorrebat hic Princeps à bellis, quæ tamen cùm effugere non potuit, magno animo gessit: quibus etiam terram Waessenbergensem, & montem S. Gertrudis suis ditionibus adiecit.

AD CAP. LXV.

IOANNI 3. adhuc puero vxor datur filia Comitis Ebroicensis Ludouici, qui patrem habuit Philippum Franciæ Regem tum adhuc superstitem. Ex qua suscepit 3. filios immatura morte sublatos, filias quoque Ioannam, quæ patri successit, Mariam Geldriæ Comitem, & Margaretam Ludouico Flandriæ Comiti iunctam. *V Vilhelmus de Rode.*] Sepultus est Louanij apud Prædicatores, vbi ad eius monumentum legitur carmen:

Miles V Vilhelme de Rode mors sepeliuit
Te, cuius multas acies audacia fregit,
Tu vice ter sena Pruscos insignis adisti,
Et semel ad Christi tumulum propria sub habena.

AD. CAP. LXVI.

IOANNA & Wenceslaus coniuges proauum habuerunt Ioannem primum: quamobrem dispensatione Pontificia opus fuit vt matrimonio locus esset. Priorem habuit Ioanna maritum Guilhelmum 4. Hollandiæ & Hannoniæ Comitem in Frisia mortuum; posteriorem, viuente adhuc patre, Wenceslaum.

AD CAP. LXVII.

IOANNES 3. Brabantiæ Dux ex sex prolibus coniugatis nullum post se reliquit nepotem, præter vnicam Margaretam Ludouici Flandriæ Comitis, & Margaretæ filiam. Ea nuptui tradita Philippo Audaci Burgundiæ Duci, fratri, filio, patruo Regis Franciæ, tres peperit filios; Ioannem Ducem Burgundiæ; Antonium, quem Ioanna Wenceslai vidua, plusquam octuagenaria, de consensu trium Statuum Gubernatorem Brabantiæ constituit; & Philippum Comitem Niuernensem. Tres etiam genuit filias; priorem sine prole mortuam; alteram Wilhelmi Ducis Bauariæ vxorem, quæ peperit Iacobam Ioannis 4. Ducis vxorem; & tertiam nuptam Amadæo Duci Sabaudiæ, qui in Basileënsi Synhodo postea Papa fuit electus. Mortua igitur sine liberis Wenceslai Ducis vidua, Antonius patriæ Gubernator,

cognatus, fratre Ioanne dissimulante, in Ducem electus est. Is ex priore coniuge Iana Comite sancti Paulli, duos genuit successores: per secundam, quæ Ducissa erat Lutcenburgensis, eundem Ducatum acquisiuit. Demum à Rege Franciæ contra Anglos in subsidium vocatus, occubuit in clade Blangiacensi, cum fratre Comite Niuernensi, & multis alijs, in ferijs S. Crispini. Sepelitur Furæ apud priorem coniugem.

AD CAP. LXVIII.

IOANNES 4. præhabita dispensatione, vxorem accepit Iacobam, Wilhelmi Ducis Bauariæ filiam, de qua carmen:

Infelix mulier, quartò variata cubile,
Bis dicor thalami destituisse fidem:
Partibus opposui vires, ter mille Britanni
Me propter gelidæ succubuere neci.

Obijt nobilis Dux Ioannes 4. anno 1427. in Cœna Domini. Sepultus Furæ.

AD CAP. LXX.

PHILIPPVS *Bonus*.] Sub Ioanne 4. Brabantiæ protector. Eius pater Ioannes Burgundio (de quo ad cap. 67.) hac ratione Antonio fratri iuniori se, ius ad Brabantiæ Ducatum cesserat, vt, si eius nepotes absque liberis vita fungi contingeret, filios suos nepotésue Duces esse oporteret. Quamobrem, defunctis sine prolibus Ioanne 4. & Philippo 1. Antonij liberis, iure ad Philippum Bonum Ioannis Burgundi filium successio pertinebat. Qui tantarum accessione ditionum, Burgundiam, Lotharingiam, Brabantiam, Limburgum, Flandriam, Hollandiam, Zelandiam, Frisiam, aliasque prouincias prudentissimè rexit. Et cùm tres haberet coniuges, ex tertia demum Isabella Regina Portugalliæ Carolum genuit hæredem. Filios interim habuit Philippum & Dauidem, Traiectenses Episcopos, & Antonium vulgò dictum Magnum nothum.

AD CAP. LXXI.

CAROLVS Audax tres habuit vxores: priorem filiam Caroli 7. Regis Galliæ; alteram filiam Ducis Borbonij Caroli, ex qua genuit Mariam; tertiam sororem Eduardi 4. Regis Anglorum. Hic Princeps post multa bella fortiter gesta, semper victor, vinci nescius, secundò subacta Lotharingia noua, Nanceio, eius regionis capite, vi capta, iterumque ablata, duobus prælijs ab Heluetijs victus est, proditione Campobassi militis Itali: qui cùm dehortaretur ab occupanda Lotharingia, colaphum à Duce acceperat. Ipse Dux posteriori prælio occisus, inter cadauera vix agnitus, ab hoste in ecclesia Nanceiana ad altare S. Georgij sepultus est.

AD

AD CAP. LXXII.

CAROLO Duce occiso, Maria vnica defuncti hæres, Maximiliano Austriaco filio Frederici Imperatoris, cui à patre Trevuiris fuerat desponsata, nupsit. Qua ratione Ducatus Lotharingiæ ad Austriacos transijt.

AD CAP. LXXIV.

CAROLVS V.] Potentissimus & pijssimus Christiani orbis Monarcha, Gandaui in lucem editus est anno Domini 1501.

Atque hic sit modus tandem notationibus earum rerum quæ ad rectè intelligendam Ducum Brabantiæ militiam sacram pertinere videbantur.

FINIS.

Errata amanuensis sic corrigantur.

Pag. 17. *lin.* 11. & 13. *corrige* Prouinciæ 30, 11. quæcunque 49. *in margine dele* Imperator 59, 30. Laubiensis 107, 25. Heimersbach 108, 22. Gallis 109, 4. Antoniensis 129, 26. viginti tria *deest* mília 129, 27. septuaginta duobus *deest* milibus 146, 28. Sunnianæ 147, 12. irruptionibus 147, 29. ille Cleod. 154. *in genealogia Merouæorum*, Alberone 155, 1. Eudonis.

Errata typographica sic corrigantur.

Pag. 39. *lin.* 5. Prouinciæ 42, 5. germani 84, 23. Antoninus 85, 7. patrimonia 102, 10. Thimo 108, 11. Heimersbach 123, 26. receptis 142, 30. futuram 147, 7. Raterdema.

APPROBATIO.

MILITIÆ sacræ Ducum & Principum Brabãtiæ, *ab exmio clarißimoq; viro Dn. Ioanne Molano, sacræ Theologiæ in Academia Louanienſi, dum viueret, Profeſſore, conſcriptum Commentarium, vnà cum ſubiectis* Notis M. Petri Louvvij Siluæducenſis, *prælo dignum iudicaui, & in lucem emiſi. Idibus Martijs*, 1592.

Henricus Cuyckius, D. Petri Louanij Decanus, & Pontificius ac Regius librorum cenſor.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIS Priuilegio cautum est, ne quis citra voluntatem Ioannis Moreti, Typographi Antuerpiensis, imprimat, aut alicubi impressum in suas ditiones importet, venalémve habeat librum cui titulus est, *Militia sacra Ducum & Principum Brabantiæ, Auctore Ioanne Molano, &c. cum subiectis Annotationibus M. Petri Louvvij*, à die impressionis absolutæ intra sex annos. Qui secus faxit, confiscatione librorum, & graui multæ pœna multabitur. Vti latiùs continetur in litteris Datis Bruxellæ, XVIII. April. Anno 1591.

Signat.

I. De Buschere.

Th
5023